STATUTA SYNODALIA DIOECESIS METENSIS,

REVERENDISSIMI D. D. GASPARDI-JOANNIS-ANDREÆ-JOSEPHI JAUFFRET, EPISCOPI METENSIS, AUCTORITATE EDITA.

Fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, et, quemadmodum accepistis à nobis quomodò oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.

1 THESS. CAP. IV, ℣. 1.



METIS,
Apud COLLIGNON, DD. Episcopi Typographum,
sub signo Bibliorum aureorum.
1820.

GASPARDUS-JOANNES-ANDREAS-JOSEPHUS JAUFFRET, Miseratione divinâ et sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, Episcopus Metensis, venerabilibus Fratribus et dilectissimis Filiis, D. D. nostræ Ecclesiæ Cathedralis Canonicis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Ecclesiarum Rectoribus, Sacerdotibus et universo Clero nostræ Diœcesis, salutem et benedictionem in Domino.

VENERABILES FRATRES ET CHARISSIMI FILII,

ECCLESIA Dei semper fidei morumque integritati summoperè invigilavit. Apostoli ipsi eorumque successores constanti studio fidei symbola, Canones et decreta ediderunt, per quæ gliscentibus erroribus et vitiis occurreretur, et doctrinæ catholicæ puritas christianarumque virtutum sanctitas illibatæ semper et ubique conservarentur.

Sacrosancta autem œcumenica et generalis Tridentina Synodus (1), in Spiritu sancto legitimè con-

(1) Sess. 17.

gregata, ad levandas tunc temporum calamitates, sedandas de religione controversias, coercendas linguas novatorum dolosas, ac depravatorum morum abusus corrigendos, decreta, quæ apta et idonea visa sunt, pro suâ sapientiâ sanxit, et omnibus Episcopis præcepit, ut illa; in suâ quisque diœcesi, publicarent, eorumque observationem efficacissimis, quibus possent, mediis promoverent.

Huic solemni voto et mandato obtemperantes omnes orbis Christiani et præsertim Ecclesiæ Gallicanæ Præsules, æmulo sanctoque zelo quasi certantes, Concilia provincialia et Synodos diœcesanas convocaverunt, et omnia quæ ad catholicam fidem, ecclesiasticam disciplinam, et rectam cleri institutionem, necnon ad cultûs divini decorem, Sacramentorum administrationem, fideliumque salutem pertinent, juxta sacrorum canonum normam ordinârunt.

Antistites verò Ecclesiæ Metensis, cujus incunabula primis purissimisque Religionis christianæ sæculis sunt coæva, eminentissimi et illustrissimi decessores nostri, neque extremi fuêre nec minimi in pastorali omnium Episcoporum sollicitudine, et insignia suæ doctrinæ, pietatis, zeli evangelici et constantis sanctæ Sedi apostolicæ adhæsionis monumenta nobis reliquêre.

Hoc pretiosum sacrumque depositum, fideliter custoditum, vobis hodiè tradimus, venerabiles fratres et charissimi filii. Horum insignium virorum

apostolatûs participes quidem, virtute verò iis impares, quoad possumus, pro tenuitate nostrâ, eorum vestigiis inhærentes, Statuta Synodalia, quæ ad optimum Metensis Ecclesiæ regimen, pro temporum opportunitate, summâ prudentiâ condiderunt, renovamus et promulgamus. Non nostrum, sed eorum opus; non nostra, sed eorum evangelica documenta, paterna monita, pias cohortationes vobis transmittimus.

Si quid addidimus, minimè nova sunt præcepta, sed antiquæ et patriæ traditiones, magis duntaxat elucidatæ et explanatæ. Absit à nobis ut sacros limites, quos posuêre patres nostri, transilire velimus. Nihil præscribimus, nisi quod ubique, quod semper, *quod ab omnibus* in Ecclesiâ Dei observatum est. Si quid in litterâ deprehendatur discriminis, unus tamen et idem Spiritus (1), qui in illis apostolicis Viris, spirat (2), loquitur, docet et in nobis.

Aliqua prætermisimus, quæ cum præsenti rerum ecclesiasticarum statu jàm non concordant. Nonnihil etiam de severitate sacrorum canonum remisimus, quos, pro infaustis his, in quæ incidimus, temporibus, urgere non expediret. Sanctas Ecclesiæ leges amori potiùs quàm timori commendandas esse duximus.

Hæc ergò Statuta, venerabiles Fratres et charissimi

---

(1) 1 Cor. 12. 11. (2) Matt. 10. 20.

Filii, eodem studio amplectimini, eâdem diligentiâ sectamini, quâ fideles et pii vestri prædecessores ministerium suum honorificaverunt (1) et Christi Ecclesiam ædificarunt. Ad hæc invitant vos, vos urgent et obligant Christi Domini auctoritas, Sacerdotii honor et dignitas, Mysteriorum quæ tractatis sanctitas, vestra populorumque felicitas et æterna salus.

Hoc tenete, charissimi, altisque mentibus vestris infigite, quod res ipsa et Patres nostri docent. Sine verâ perfectâque obedientiâ, sanctissimæ vilescunt leges; nullus evangelici ministerii fructus; nullum diœcesanum regimen; nullus ordo in Ecclesiâ sanctâ Dei. Quinimò ipsam religionem, ubi sancta deest obedientia, citò perire necesse est.

Agite, venerabiles Fratres et charissimi Filii, fideliter et prudenter nobiscum evangelio collaborate secundùm virtutem Dei (2). Diversa diversis incumbunt munia. Unusquisque, sicut accepit gratiam, illam administrate, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei (3). Omnia nostra in charitate fiant (4). Unus et idem scopus, Dei scilicet gloria et sanctæ Ecclesiæ exaltatio, nos connectat, et omnes quasi unum virum efficiat (5).

---

(1) Rom. 11. 13.
(2) 2 Tim. 1. 8.
(3) 1 Petr. 4. 10.
(4) 1 Cor. 16. 14.
(5) 2 Esdr. 8. 10.

Scitote et nunquàm obliviscimini cujus spiritûs estis (1). Non spiritum hujus mundi accepistis, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciatis quæ à Deo donata sunt vobis (2); quia charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum, qui datus est vobis (3).

Canonici estis? Præclarum illud nomen à Canonibus accepistis, quos sancta Romana Ecclesia, mater nostra, dedit nobis. Hòs diligentissimè observate; quippè qui proposita omnibus exemplaria estis. Ideò enim Canonici appellati estis, quòd canonicis regulis sectandis arctiùs quàm cæteri vos religiosè devovistis. Ab universâ Ecclesiâ specialiter deputati, ut ejus nomine publicæ orationis officium persolvatis, assiduè et piè divinæ vacate psalmodiæ; hæc est sanctissimas inter ecclesiasticas functiones una, quâ cœlestium Spirituum veluti consortes et socii, Regi sæculorum immortali (4) perennes hymnos concinitis.

Pastores estis? Quod nomine dicimini et connotamini, id verè esse fausto omine satagite, non vosmetipsos, sed oves vestras pascentes (5). Super eas vigilate, luposque rapaces arcete. Quod in iis infirmum est, consolidate; quod ægrotum, sanate; quod

(1) Luc. 9. 43.
(2) 1. Cor. 2. 12.
(3) Rom. 5. 5.
(4) 1 Tim. 1. 17.
(5) Ezech. 34. 2.

confractum, alligate; quod abjectum, reducite; quod pingue et forte, custodite (1). Evangelici pastoris sollicitudinem imitantes, oviculam à grege aberrantem quærite; inventam in humeros vestros imponite et in ovile gaudentes reportate (2). Nolite ullam animam gregis vestri parvipendere, reputate quàm magno empta sit pretio (3). Christus, qui eam sanguine suo acquisivit (4), vobisque custodiendam tradidit, si culpâ vestrâ perierit, de manu vestrâ requiret eam (5).

Sacerdotes estis? Sacerdotaliter vivite; imò angelicam puritatem, quantùm fert humana conditio, habete; sacerdos enim angelus Domini exercituum est (6). Sit igitur omnibus vita vestra tanquam liber semper apertus et patens, in quo legant omnes quid se facere oporteat; tanquam speculum oculis expositum, in quo considerent quomodò mores suos componere et perficere debeant. Eheu! nimis liquet multos ob indisciplinatam sacerdotum conversationem scandalizari, seduci et in vitia trahi. Contrà verò quò præstantiori gravitate et sanctitate eminent, eò majorem sibi reverentiam, obedientiam et auctoritatem conciliant. Rememoramini pristinos dies (7): quomodò in aureâ illâ ætate sacerdotes

---

(1) Ezech. 34. 4.
(2) Luc. 15. 4.
(3) 1. Cor. 6. 26.
(4) Act. 20. 28.
(5) Ezech. 3. 18.
(6) Mal. 2. 7.
(7) Hebr. 10. 32.

doctrinâ et pietate conspicuos populi venerabantur, laudabant, magnificabant, ac æmulabantur!

Vos regale sacerdotium estis (1). Regalis verò potestas et dignitas vestri sacerdotii tota spiritualis est, quâcumque potestate humanâ et quidem angelicâ excellentior; eo fine vobis data, ut populos in ordine supernaturali regatis, eosque, ex servitute peccati et potestate tenebrarum ereptos (2), in libertatem gloriæ filiorum Dei restituatis (3), et in regnum Filii dilectionis suæ transferatis (4). Hæc autem vestra regalis potestas non eadem est quæ potestas regum terræ, scilicet, potestas dominationis et coactionis (5), sed persuasionis et spontaneitatis, beneficentiæ et charitatis. Imò subditorum vestrorum *ministri* et *servi* eritis (6), sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam. Omnibus omnia fieri debetis, ut omnes salvos faciatis (7). Attendite etiam regalem vestram potestatem sic ordinare, ut vobismetipsis imperetis, vestrisque cupiditatibus dominemini, priùsquàm alios regere et legi subjicere aggrediamini.

Vos estis lux mundi. Lucerna autem non ponitur sub modio, sed super candelabrum, ut luceat

---

(1) Petr. 2. 9.
(2) Col. 1. 13.
(3) Rom. 8. 21.
(4) Col. 1. 13.
(5) Matt. 20. 25.
(6) *Ibid.* 26.
(7) 1 Cor. 9. 22.

omnibus qui in domo sunt (1). Veritatem Dei, cujus præcones constituti estis, nolite in injustitiâ detinere (2), aut verbum Dei adulterare, non ex sinceritate sicut ex Deo loquentes (3), sed humanis falsisque, rigidioribus aut laxioribus, interpretationibus indulgentes. Labia vestra custodiant scientiam et requirant populi legem ex ore vestro (4). Prælucete eis in viâ mandatorum Dei. Cæcus enim si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt (5).

Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanuerit, in quo salietur (6)? Si sal sapientiæ omnes sermones et actiones vestras non condiat; si evanueritis in cogitationibus et studiis vestris; si ad omne opus bonum lenti, tepidi, frigidi et insulsi, spiritualia fastidiatis, et cœlestia respuatis; nihil nisi terrena et caduca sapiatis; si adhuc carnales sitis et secundùm hominem ambuletis (7), quomodò Christi fidelibus cœlestia dicere, et ea quæ Dei sunt docere poteritis?

Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi itâ loquimur (8). Confidimus de vobis in Domino, quoniam quæ præcipi-

(1) Matt. 5. 14.
(2) Rom. 1. 18.
(3) 2 Cor. 2. 17.
(4) Mal. 2. 17.
(5) Matt. 15. 14.
(6) *Ibid.* 5. 12.
(7) 1 Cor. 3. 2.
(8) Hebr. 6. 9.

mus et facitis et facietis (1), atque (2) ità vos ipsos salvos facietis et eos qui vos audiunt (3).

Os nostrum patet ad vos (4), omnes Cleri Metensis Ordines. Os patris ex abundantiâ cordis loquitur. Cor nostrum dilatatum est per amorem quo vos complectimur. Non angustiamini in nobis (5), cor nostrum omnes totum possidetis et impletis. Eamdem nobis paremque dilectionis remunerationem rependite. Tanquam filiis loquor. Dilatamini et vos (6), ut nos etiam locum in cordibus vestris occupare possimus.

Hoc oro, ut charitas vestra magìs ac magìs abundet in scientiâ et in omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensâ, repleti fructu justitiæ, per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei (7).

Itaque, Fratres meî charissimi et desideratissimi, gaudium et gloria mea, sic state in Domino, charissimi (8). Deus omnis gratiæ, qui vos vocavit, modicùm passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque (9). Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam (10).

Omnibus vobis, dilectis Dei, vocatis sanctis, gra-

---

(1) 2 Thess. 3. 4.
(2) 1 Tim. 4. 16.
(3) 2 Thess. 3. 4.
(4) 2 Cor. 6. 11.
(5) *Ibid.* 12.
(6) 2 Cor. 13.
(7) Philip. 1. 9.
(8) Phil. 4. 1.
(9) 1 Petr. 5. 4.
(10) 1 *Ibid.*

tia vobis et pax à Deo patre nostro et Domino Jesu Christo (2).

Datum Metis in palatio nostro episcopali, sub signo manuali sigilloque nostris, et Secretarii cameræ nostræ episcopalis subscriptione, atque in Synodo diœcesanâ publicatum, die decimâ nonâ aprilis, anno Domini 1820.

† G.-J. ANDREAS-JOSEPHUS,
Episcopus Metensis.

De Mandato,

MASSON, *Secretarius.*

---

(1) Rom. 1. 7.

STATUTA SYNODALIA DIOECESIS METENSIS.

TITULUS I.

DE FIDE ET DOCTRINA RELIGIONIS CATHOLICÆ.

ARTICULUS I.

FIDES, ut docet Apostolus, est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (1). In fide fundatur catholica Religio ac summa mysteriorum et veritatum cœlestium, quas credendas, necnon et æternorum bonorum quæ speranda nobis proponit. Undè expedire duximus ut à fide exordium eorum sumamus, quæ statuere intendimus. Fides autem per verbum Christi, quod ab ipso Christo Domino ad Apostolos et ab Apostolis ad Episcopos eorum successores et ad nos usque, per continuam et non interruptam traditionem, transmissum et toto orbe terrarum diffusum est.

(1) Hebr. 11. 1.

II.

Quapropter mandamus omnibus nostræ diœcesis sacerdotibus inferioribusque ministris et præsertim Parochiarum rectoribus, ut doctrinam veræ fidei juxta verbum Dei, sanctum Jesu Christi evangelium et receptam sanctæ catholicæ, apostolicæ romanæque Ecclesiæ traditionem, firmissimè teneant et sequantur, in omnibus sumentes scutum fidei, quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere (1), et fideles animas contra hæreticorum et impiorum technas ac effrenes impetus præmunire atque deffendere.

III.

Pastores imprimis (2) attendant lectioni, doctrinam in ipso fonte præcipuè hauriant, sacras scripturas assiduâ manu pervolvant, historiam Ecclesiæ, sacrosancti Concilii Tridentini decreta, catechismum Romanum seu ad Parochos, aureum librum de Imitatione Christi, Rituale Metense, theologiam pro diœcesi adoptatam sæpè legant, et alios selectos libros pro cujusque facultate habeant, undè utilia ad componendas conciones, dirigendas animas, suamque alendam pietatem adjumenta possint depromere. Studia eorum adjuvent frequentes et devotæ ad Deum orationes, piæ et ferventes meditationes. Illos mo-

(1) Eph. 6. 16. (2) 1 Tim. 4. 12.

veat exemplum Doctoris angelici, qui testabatur se plura ad Christi crucifixi pedes orando quàm libros legendo didicisse.

I V.

Præcipuum pastorum munus est prædicatio evangelii. Cùm Deus per prophetam promittit se daturum populo suo pastores juxta cor suum, eos non alio indicat signo, non alio illustrat titulo, quàm quòd populum pascent scientiâ et doctrinâ (1). Tremant pastores muti ad hæc Apostoli verba : væ mihi, si non evangelizavero; necessitas enim mihi incumbit (2). Quàm dulci autem gaudio eorum mens perfunditur, qui parochianis suis cum eodem Apostolo dicere possunt : scitis quomodò nihil subtraxerim vobis utilium, quominùs annuntiarem vobis et docerem vos publicè et per domos.... Cùm lacrymis monens unumque vestrûm (3).

V.

Pastores et generatim concionatores, in cathedrâ veritatis sedentes, abstineant ab inanibus et difficilibus quæstionibus, captum auditorum superantibus et ad eorum ædificationem minùs pertinentibus; sed ea tantùm doceant quæ ad veram fidem, pietatem, obedientiam et concordiam spectant, et quorum cognitio pro suo cuique statu necessaria est ad salutem.

(1) Jer. 3. 15.
(2) 1 Sor. 9. 16.
(3) Act. 10. 20.

V I.

Equidem à Deo sunt constituti (1) ut clament et non cessent annuntiare populo suo scelera eorum; sed caveant ne, cùm vitia redarguunt, personas perstringant et lædant. Peccata perfecto odio oderint (2) et sanctâ indignatione prosequantur; peccatores verò benignâ charitate et compatienti misericordiâ complectantur, permulceant et ad pœnitentiam adducant.

V I I.

Prædicatio eorum non sit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis (3), sed in doctrina Spiritûs; (4) auditorum plausus et laudes non quærat, sed compunctionem cordis et lacrymas. Sermo evangelicam simplicitatem spiret; attamen non ita sit inconditus et rudis, ut vilescat; non ita prolixus, ut tædium et nauseam pariat; non jocosus, ut risum moveat. Absit ut quid scurrile sonet. Uno verbo meminerint se Christi fidelibus et suo ministerio hanc debere reverentiam, ut nihil nisi accuratum, salutare, et divinæ, quâ funguntur, legationis dignum, in cathedrâ evangelicâ proferant.

V I I I.

Ædificent autem præsertim parochianos suos tàm operum disciplinâ et precum auxilio quàm fidei

---

(1) Isaï. 58. 1.
(2) Ps. 138. 22.
(3) 1 Cor. 2. 4.
(4) *Ibid.* ℣ 13.

scientiâ

scientiâ et concionis facundiâ. Nisi enim exemplo ut et verbo doceant, sæpissimè inanes profundunt voces. Hoc advertant, quod peccatori dixit Deus : quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum? (1) Attendant ad illud quod eidem populus ipse objicit: tu qui alium doces, te ipsum non doces (2). Quinimò quàm multi malæ vitæ suæ defensionem ex præpositorum suorum prævaricationibus potiùs quam emendationem ex illorum exhortationibus mutuantur, et verbum Dei, quod prædicatur, simul cum ipso prædicatore sugillant et contemnunt, sicque nomen Dei per malos sacerdotes et pastores blasphematur inter gentes (3).

I X.

Pastores neminem in suis parochiis concionari permittant, nisi Episcopi diœcesani, et si sit sacerdos extraneus, sui proprii Episcopi approbationem exhibuerit, vel nisi aliàs certò sciant eum esse approbatum. Sacerdos pro confessionibus approbatus, censetur pro sacris concionibus etiam approbatus.

X.

Inter omnes populi christiani erudiendi modos, nullus opportunior et efficacior quàm catechismus.

---

(1) Ps. 49. 16.
(2) Rom. 2. 21.
(3) Rom. 2. 24.

Catechistes autem, cùm unum capitulum explanat, non uno et continuo tractu sermonem suum effundat; sic enim fortè aerem verberaret et perpauci aures ei darent. Sed interrogationes ad hos et illos interponat et responsiones exigat, quæ alternis et repetitis vicibus sibi succedant; sic attentio obtinetur, intellectus exercetur et acuitur. Non etiam sermonem in siccis, frigidis et tædiosis explicationibus constringat, sed variis et amænis exemplis, ex Scripturâ sacrâ et historiâ ecclesiasticâ petitis, intermisceat, quæ leves et facilè vagantes animos detineant, delectent atque delectando erudiant. Beatus ille Pastor, qui eximiam catechizandi artem ita callet, ut non solùm puerorum, sed omnium ætatum assiduitatem in catechismo et attentionem obtineat! Beata illa parochia, utpote in omnibus, quæ ad religionem et salutem æternam pertinent, optimè informata!

X I.

Hoc munus pueros erudiendi, verè pastorale et paternum munus, Pastores cum patientiâ, lenitate, hilaritate et amore adimpleant, et si quandoque humana infirmitas atque etiam humana superbia aliquid tædii, impatientiæ et displicentiæ patiantur, cùm pueris, hebetis plerumque ingenii, semper eadem vulgatissima et quasi puerilia repetenda sunt; aspiciant in magnum pastorum exemplar, Christum Dominum, qui parvulos tantoperè amabat, eos ad se venire jubebat, complexabat et benedicebat.

X I I.

Pastores adhortentur ad catechismum eos præsertim, qui doctrinam christianam ignorant, moneantque eos ad Sacramenta et ad benedictionem nuptialem admitti non posse, nisi principalia fidei capita didicerint. Catechisent diligenter, præcipuè tempore Adventûs et Quadragesimæ, eos imprimis qui ad primam communionem disponuntur.

X I I I.

Juventuti debent in dilectione et sollicitudine suâ primas dare, ab eâ expectare potissimum fructum sancti ministerii. Lugeant quidem et sanent, si possint et in quantùm poterunt, lugendam certè et perversam *illam generationem*, quæ infelicissimis turbarum gallicarum temporibus nata, cum lacte impietatem suxit, bibit quasi aquam iniquitatem (1) et exultavit in rebus pessimis (2). Omnem verò spem suam ponant in generatione quæ advenit; pro eâ ardentissimum zelum impendant, ut ex eâ creetur populus novus, qui laudabit Dominum (3), religionemque et patriam consolabitur et restaurabit.

X I V.

Magnum illud opus maximè pendet ex bonâ primarum scholarum ordinatione. Quapropter attendant

---

(1) Job. 15. 16.
(2) Prov. 2. 14.
(3) Psal. 101. 19.

Pastores, quoad poterunt, si non vi auctoritatis, saltem exhortationis et directionis, ne admittantur ad institutoris seu institutricis munus, nisi personæ integrâ famâ, probatâ fide, intactis moribus commendabiles, et si qua difficultas aut contradictio in electione occurrat, rem ad nos referant, ut pro opportunitate opitulemur.

X V.

Instent pariter ut observetur regia Sanctio, quâ cautum est, ut pueri et puellæ in diversis scholis, illi ab institutoribus, istæ ab institutricibus doceantur. Sicut inter institutores maximè commendantur Fratres scholarum christianarum, ita inter institutrices commendamus Sorores sanctæ Christianæ et sorores Providentiæ, quarum eximiæ ad christianam educationem dirigendam dotes omnimodam laudem plenamque fiduciam merentur, pastoresque et communitates adhortamur ut tantum juventuti suæ bonum procurare enitantur.

X V I.

Quandiù unus duntaxat pro utroque sexu institutor erit, sint pueri à puellis separati, ut nullum vel minimum inter eos colloquium misceri possit. Nunquam solæ cum solis in schola remaneant; sed institutore absente, presto sit, qui super omnes vigilet. Extra scholam pueri cum puellis nusquam simul conveniant nec ludant.

XVII.

Sæpè scholas Pastores visitent, attendant ut omnia secundùm ordinem fiant, et si quid ab institutoribus vel discipulis peccetur, extemplò et prudenter corrigendum curent. Vigilent imprimis diligentissimè, ne quis unum de pusillis istis scandalizet, (1) ne ab ipsis institutoribus (quod avertat Deus) vel, quod frequens nimis est, à se invicem innocentiæ periculum subeant.

XVIII.

Cùm diversitas in docendâ et discendâ doctrinâ catholicâ gravia pariat incommoda, præcipimus omnibus pastoribus, institutoribus aliisque ad quos pertinet, ut catechismus diœcesanus tàm in Ecclesiis quàm in scholis recitetur et explicetur.

XIX.

Institutores utriusque sexûs, singulis diebus matutino tempore congregatis discipulis, curent recitari, per unum vel plures alternatim, altâ et intelligibili voce Orationem dominicam, Salutationem angelicam, Symbolum Apostolorum, præcepta Dei et Ecclesiæ, actus adorationis, fidei, spei, charitatis et contritionis. Hæc omnes simul submissâ voce et *genibus* flexis repetent. Deindè, scholæ exercitia peragentur et terminabuntur per orationculam, ad agendas Deo optimo maximo gratias. Quantùm fieri poterit, ducantur bini et bini lento gradu et modesto

---

(1) Marc. 9. 41.

habitu ad sanctam Missam. A teneris doceantur et assuefiant in domo Dei cum reverentiâ et pietate se gerere. Item, ante lectiones pomeridianas, brevi oratione implorabitur Spiritûs Sancti gratia; quibus finitis, Deo grates agentur ut manè. Si nihil obstet, omnes discipuli, institutore duce, se conferent in Ecclesiam, ubi cantabitur consueta oratio ad recolenda Incarnationis et Resurrectionis Domini Mysteria.

XX.

Præter alia scholæ exercitia, quotidiana lectio manè et vespere erit de catechismo, quem institutores curabunt à discipulis diligenter memoriæ mandari, crebròque repeti. Eosdem frequentibus super eo explicationibus pro suo posse exercebunt. Quod ultimum tamen non præsument, nisi id illis Pastor, probatâ ipsorum intelligentiâ et doctrinâ, permiserit.

XXI.

Attendant Pastores ut non nisi selecti et probati libri in scholâ legantur. Vigilent præsertim cum institutoribus, ne in scholam neque in parochiam irrepant isti perniciosi libelli, quos impietas et licentia nefando studio diffundunt ad seducendas animas, et undè inscia et incauta juventus imprudentibus labiis sæpè nimis venenum et mortem haurit.

XXII.

Operæ pretium est huic libellorum pesti simplex et salutare antidotum opponere, et adhortandi sunt

parentes, ut sibi christianam bibliothecam comparent, quæ quatuor circiter libros, in quâlibet familiâ diebus Dominicis et Festis legendos, complectatur: nempè totius anni Evangelia, Epitomen historiæ sacræ veteris et novi Testamenti, Imitationem Jesu Christi, summarium de selectis vitis Sanctorum. Hæc modica facilisque pro plerisque familiis expensa, hæc pia simul et jucunda exercitatio seu potiùs oblectatio, ad quam plures convenire possunt, quantùm procrearet boni, quantùm mali præcaveret, re ipsâ intelligitur.

XXIII.

Pueri, usum rationis adepti, doceantur quàm primùm *actus fidei*, *spei* et *charitatis* elicere. Circiter à sexto ad septimum ætatis annum, in singulis quatuor temporibus, ad sacrum pœnitentiæ tribunal admittantur, in quo ipsis injungendum est, ut à parentibus humiliter veniam petant et emendationem promittant. Pastores iis, pro suâ prudentiâ, absolutionem dare satagant, quos ritè dispositos invenerint.

XXIV.

Moneant Pastores, quàm graviter contra bonos mores peccent illi mali christiani, qui in ædibus et hortis suis exponunt imagines et statuas, lascivo cultu et impudenti nuditate scandalosas, quæ oculos offendunt et corda corrumpunt.

XXV.

Hortentur parochianos suos, ut abstineant à spectaculis, choreis, cætibus præsertim nocturnis, offensionem habentibus, ubi juvenes utriusque sexûs sunt sibi invicem proxima peccandi occasio, ut tristis docet experientia.

XXVI.

Prohibemus ne catholici hæreticorum templa ingrediantur ad eorum prædicationes vel psalmodias audiendas, nec aliis eorum religiosis cæremoniis adsint, etiam ex merâ curiositate, sæpè nimis periculosâ.

XXVII.

Christiani judæorum synagogam sabbato non ingrediantur, ut in eâ cereos aut lychnos componant et emungant, neque judæos adire unquam præsumant, eorum libros legendos audituri.

TITULUS II.

DE DIVINO OFFICIO AC DE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS.

Articulus I.

Omnes populi innato consensu publicum supremo Numini cultum reddunt et sacrificia offerunt. Sed quàm maximè aliis omnibus populus Christianus supereminet. Apud eum enim officii divini præcipua et essentialis actio est sanctum Missæ Sacrificium, augustum illud et ineffabile Mysterium, quo Christus Dominus, unigenitus Dei Filius, Deus et homo, Patri suo omnipotenti se offert et ei infinitum honorem exhibet, hominique infinitum redemptionis pretium impertitur. Undè Christi fideles multò potiori jure quàm Israelitarum legislator glorientur, quòd non sit alia natio tàm grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris (1).

II.

Officia divina debent igitur esse digna religione

(1) Deut. 4. 7.

tàm sublimi, et solâ quidem, quâ Deus adoratur in spiritu et veritate (1). Absit ut cursim, perturbatè et oscitanter peragantur. Meminerint Pastores nihil populos ad ea frequentenda potentiùs allicere, eorumque assiduitatem, attentionem et devotionem magis excitare, quàm si videant ea cum gravitate, decore et dignitate celebrari.

III.

Officii divini pars neutiquam parvipendenda est Cantus. In eo ordinando sanctus Gregorius, magnus ille Pontifex, maximam diligentiam et peritiam exhibuit, ita ut Cantus ecclesiasticus ex ejus nomine Cantus gregorianus appellatus sit. Nostra verò Ecclesia Metensis scholam habuit inter omnes Galliarum Ecclesias celeberrimam, ad quam undique convenire cantores jubebantur, ut ab ejus Magistris erudirentur. Hanc Ecclesiæ nostræ antiquam gloriam æmulentur Pastores, et studeant ut non tantùm illi qui chorum tenent, sed et ipsi hanc artem apprimè calleant. Non mediocri laude populus christianus illos effert, qui benè cantant, sicut et eos qui benè concionantur. Admodùm placet et allicit accurata, decora dulcisque cantûs melodia, mentes religiosâ lætitiâ perfundit, divini cultûs majestati plurimùm adjicit, corda ad cœlestia desideria erigit, et Christi fidelium, in terris militantium, voces cantibus et hym-

---

(1) Joann. 4. 24.

nis consociat, quibus Ecclesia in cœlis triumphans Deum ter Sanctum laudat et glorificat.

IV.

Informentur pueri, qui togis et superpelliceis induti, non præcipitanter, non tumultuosè, non vagantibus undequaque oculis, sed leniter, decenter, modestè demisso vultu, sacris ministrent altaribus, cæremoniasque peragant, et etiam, deficientibus clericis, epistolam cantent. Hæc erunt non pueris solis, sed et parentibus grata, ac licet parva quidem sint, nonnihil tamen conducunt ad lucrandas animas.

V.

Non præsententur nobis ad æditui munus admittendi, *nisi viri* boni nominis, probi ac pii, qui decorem domûs Dei diligant, omniaque in eâ studiosè mundent, ordinent et custodiant. Decentiam, gravitatem et modestiam in omni exteriori habitu exhibeant. Nullam artem aut commercium exerceant, quod cum ecclesiastico eorum officio non congruat.

VI.

Omnes quidem dies sunt Deo sacri, tanquam creatori et supremo omnium Domino. Quidam tamen ejus cultui specialiùs dicati sunt. Ab ipso mundi initio præcepit Deus ut homines Sabbatum per cessationem omnis operis servilis sanctificarent, eam nempè diem, quam ipse sanctificaverat, requiescens ab omni opere post perfectam creationem. Sabbato

substituta est dies Dominica, ex apostolicâ auctoritate et traditione, in honorem sanctissimæ Trinitatis; quoniam eâ die Deus Pater lucem condidit, Christus à mortuis resurrexit et Spiritus Sanctus de cœlo super Apostolos descendit.

VII.

Eodem Spiritu veritatis edocta semper et gubernata, sancta catholica Ecclesia quosdam dies festos addidit et instituit, ad præcipua fidei mysteria et insigniora Dei beneficia recolenda, necnon gloriosos Sanctorum Martyrum et Confessorum aliorumque Sanctorum illustrium triumphos commemorandos. Omnes illæ solemnitates à Christi-fidelibus diligenter et religiosè celebrentur.

VIII.

Doceantur fideles omne opus servile diebus Dominicis et Festis sub peccato esse prohibitum, nisi illud exigat publica vel privata necessitas, aut imminens periculum damni, præsertim in messe fructuum ruralium; et tunc petatur licentia Pastoris.

IX.

Nec diebus Dominicis et Festis merces vendantur nec emantur sine necessitate; nec antè fores vel in fenestris domorum vel alibi venales exponantur; nec tempore divinorum officiorum ænopolia aut tabernæ, nisi pro viatoribus, aperiantur.

X.

Cùm verò nullum opus servile sit peccato servilius, imò nihil Deo abominabilius, res est utique lugenda nimis, quòd diebus Dominicis et Festis, omnium peccatorum, vitiorum et scandalorum monstra effusiùs grassentur; quòd in diebus Deo consecratis ejus nomen petulantiùs blasphemetur, quàm ullis unquam aliis diebus; undè potiori jure de populo Christiano conqueri possit quàm de populo judaïco per Isaïam prophetam, dicentem: Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens (1).

X I.

Quapropter non solùm Pastores hortamur, sed et Magistratus omnes civiles in Domino rogamus et obsecramus, pro nostri ipsorumque officii ratione, pro gloria Dei et patriæ prosperitate, ut, cùm sint ministri Dei in bonum et vindices in iram eis qui malè agunt, (2) pios mores protegant, totque mala et scandala, quæ divina officia perturbant, dies sacros polluunt, sanctam Religionem in contemptionem adducunt, è medio tollant.

X I I.

Omnia festa, divina officia, ordo missarum, benedictionum et expositionum SS. Sacramenti, pro-

---

(1) Is. 1. 4. (2) Rom. 13. 4.

cessionum, publicarum supplicationum ac jejuniorum, et quæcumque ad cultum Dei pertinent, observabuntur, prout in Rituali et in Brevi liturgico diœceseos atque in Manuali Ordinandorum, ad usum Cleri Metensis nuper edito, præscribuntur.

XIII.

Omnium processionum celeberrima atque etiam omnium sanctæ Ecclesiæ solemnitatum magnificentissima, processio SS. Sacramenti intrà octavam Corporis Christi, non tantùm cum omni exteriori apparatu et religioso splendore ordinanda est, sed cum vividissimis fidei, adorationis et amoris affectibus comitanda. Hæc omnia imperat substantialis et ineffabilis præsentia Christi Domini, velantis quidem suæ divinitatis majestatem, suam verò benedictionem et gratiarum abundantiam ubique pertranseundo diffundentis super omnes, qui adorant eum in spiritu et veritate.

In processione nulli pueruli aut puellulæ, extraneis minùsque modestis vestibus induti, introducantur.

XIV.

Qui præsumpserit Festa celebrare, dare benedictionem SS. Sacramenti, illud exponere vel in processione circumferre aliis diebus quàm mandato episcopali statutis, aut etiam ad repellendas tempestates, extinguenda incendia et alia imminentia pericula avertenda, in eum pœnâ suspensionis animadvertetur.

X V.

Prædictis diebus SS. Sacramentum remanere poterit expositum, à Missa solemni ad Vesperas vel Completorium; si usque ad Completorium, pro prudentia Pastoris, benedictio serotina differatur: dummodò saltem duo ex parochianis, per ordinem in tabulâ inscripti, alternatim adorationem Deo offerant corporalem in oratione et meditatione perpetuâ.

X V I.

Omnes Ecclesiæ habeant Missalia, Antiphonalia, Gradualia, Vesperalia et omnes liturgicos libros hujus Diœcesis, eisque se conforment in Missis et Officiis publicis. In universâ diœcesi, uniformitas rituum et cæremoniarum, idem cantandi modus observetur, una eademque disciplina vigeat. Hunc in finem commendamus Manuale Ordinandorum suprà dictum.

X V I I.

Missa parochialis et Vesperæ, eâdem semper et statâ horâ celebrentur, nisi aliquam mutationem publica utilitas exigat. Dato ultimo campanæ signo, statim officium inchoetur; ne ex morâ frigescat devotio populi, vel ei detur prætextus tardiùs adveniendi. Nullus etiam, præ indevotionis tædio et impatientiâ, discedat ante acceptam sacerdotis benedictionem et completam solemnitatem.

XVIII.

Laudabilis est mos parochiarum, in quibus intra divina officia viri separati à mulieribus sedent, illi in parte superiori navis, istæ in parte inferiori, vel illi à dextris, istæ à sinistris. Nullæ mulieres in cancellis vel in choro sedem occupent.

XIX.

Doceantur sæpè fideles de apostolicâ institutione, de multiplici utilitate Missæ parochialis et de præcepto Missam, præcipuè Missam parochialem, diebus Dominicis et Festis feriatis audiendi, nisi fuerint legitimè impediti; eosque peccare qui, contemptâ et relictâ suâ parochiâ, ad alias Ecclesias excurrunt, necnon illos errare, qui præceptum Missæ parochialis solummodò è tribus Dominicis unâ obligare opinantur.

XX.

Doceantur etiam fideles, quàm miserè seipsos illi decipiant, qui præsumunt præcepto sanctificationis dierum festorum per solam Missæ auditionem satisfacere, et reliquam diem in otio, vanis colloquiis et deambulationibus consumunt: quasi verò sanctificatio diei integræ, Deo consecratæ, compleri possit per spatium unius fortè horæ, etiam piè transactæ. Sciant quietem et cessationem operis idcircò præcipi, ut mens in Deo quiescat, et à terrenis abstracta, ad cœlestia dirigatur; consequenter præter

Missam

Missam parochialem et vespertina officia, quæ frequentare maximè convenit, diversis operibus pietatis et charitatis pro cujusque statu et affectu vacandum esse. Nihil porrò vetat quominùs moderatæ animi recreationi indulgeatur.

XXI.

Singulis Dominicis ante Missam parochialem, Pastor faciat benedictionem aquæ et eâ altare, seipsum et populum aspergat: quâ cæremoniâ fidelibus in mentem revocatur baptismus et sanguis Christi, quo in baptismo abluti sunt, et innuitur, non nisi puris manibus et mundo corde ad Deum esse accedendum. Ad eumdem finem, ex antiquâ et laudabili Ecclesiæ *catholicæ* consuetudine, apponuntur in aditu templorum crateres seu vasa aquæ benedictæ, quâ ingredientes manum dexteram tingunt, et se signant signo Crucis.

XXII.

Antiqua etiam, consuetudo observetur, quâ saltem in solemnioribus festis, post benedictionem aquæ, fit processio extrà vel intrà ecclesiam, et hymni festo proprii cantantur.

XXIII.

Singulis Dominicis, inter Missarum solemnia post cantatum evangelium, Pastor legat epistolam et evangelium Dominicæ occurrentis, illaque ad captum et ædificationem populi interpretur, vel concionem

habeat, aut saltem, si sit sermone imperitus, aliquid ex pio libro legat, vel de catechismo interroget et explicet.

X X I V.

Convenit etiam ut breve pronaum Rituali Metensi inscriptum legatur, et preces pronao adjectæ recitentur pro omnibus Ecclesiæ et regni necessitatibus, pro vivis et pro defunctis: juxtà pium morem, semper in Ecclesia observatum et à S. Paulo commendatum. Obsecro, inquit, primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et pro omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate (1).

X X V.

Pastor, qui tribus Dominicis aut Festis continuis prædicationem verbi divini, vel per se vel per alium uno ex supradictis modis præscriptam, culpabiliter omiserit, sciat se ab officio suspensum iri. Excipitur pro rure tempus messis et vendemiæ. Qui duas ecclesias regit et duas Missas parochiales celebrare tenetur, ne nimis gravetur, satisfaciet, si in alterutrâ Ecclesiâ alternis vicibus evangelizet, sed in utrâque singulis Dominicis epistolam et evangelium legat.

---

(1) 1 Tim. 2. 1.

XXVI.

In parochiis ruralibus Pastor, pro suâ prudentiâ, sæpè in pronao addat et recitet aut recitare jubeat linguâ vernaculâ clarè et intelligibiliter orationem Dominicam, Salutationem angelicam, Symbolum Apostolorum, septem Sacramenta, præcepta Decalogi et Ecclesiæ, ut hoc saltem modo repetita præcipua religionis elementa rudiores discere valeant.

XXVII.

Si quæ festa, jejunia vel alia Ecclesiæ instituta ineunte hebdomadâ celebranda occurrant, ea Dominicâ præcedente in pronao denuntientur eorumque ratio et finis exponantur.

XXVIII.

Cùm verò, inter omnes Ecclesiæ leges, nulla magis negligatur et contemnatur quàm lex jejunii et abstinentiæ à carnibus, res est maximi momenti ut Pastores instent, arguant et obsecrent (1) pro religiosâ observatione sanctæ hujus disciplinæ, à temporibus Apostolorum tam sapienter institutæ, quâ peccata expiantur, domatur carnis libido, virtutes comparantur et perficiuntur, temporalia et æterna Dei beneficia impetrantur, anima liberior ad cœlestia erigitur, Christianus jejunii et Passionis Christi particeps fit et socius, ad festorum Paschalium alia-

---

(1) 2 Tim. 4. 2.

rumque festivitatum piam celebrationem præparatur, unaquæque anni tempestas per specialia pœnitentiæ exercitia Deo consecratur, sancti Ecclesiæ pastores à Principe pastorum obtinentur. His innumeris et salutaribus bonis se atque Ecclesiam fraudant, quantùm in se est, et peccant illi qui legem infringunt, nisi legitimis rationibus excusentur, nisi etiam jejunii et abstinentiæ defectum et dispensationem per alia bona pietatis et misericordiæ opera suppleant. Enim verò licet bona et sancta mater Ecclesia, pro suâ indulgentiâ et malorum temporum necessitate, disciplinæ rigorem relaxaverit, spiritus ejus semper idem est et semper clamat cum Christo Domino : si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. (1)

Moneantur etiam fideles jejunii et abstinentiæ observatores, jejunium parùm prodesse, imò meritum suum perdere, nisi veræ pœnitentiæ spiritu sanctificetur (2) ; et idcircò præcipuè studeant ut, dùm caro à cibis temperat, mens à peccato abstineat, virtutesque amplectatur ; scindant corda sua et non vestimenta sua (3).

XXIX.

Nullæ in Ecclesiâ fiant promulgationes negotio-

---

(1) Luc. 13. 5.

(2) Joel. 1. 14.

(3) Joel. 2. 13.

rum sæcularium, nisi pro utilitate publicâ et ex Episcopi licentiâ.

X X X.

Pro antiquo Ecclesiæ more, singulis diebus Dominicis, antequàm in Missa parochiali panis et calix consecrandi Deo offerantur, fiat per manus fidelium solemnis oblatio panis, qui à Pastore benedicatur et omnibus post communionem distribuatur. Unusquisque honori et religioni ducat, illum panem offerre in ordine vicis suæ, tanquam symbolum sanctæ Eucharistiæ et signum communionis et charitatis, quâ omnes in Christo colligantur. Unus enim panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus (1).

X X X I.

Collectæ oblationum, quæ fiunt intrà Missarum solemnia, incipiant à tempore quo cantatur *Gloria in excelsis*, et interrumpantur per pronaum et concionem, atque à canone inclusivè ad communionis antiphonam.

X X X I I.

Singulis Dominicis et Festis post Missam parochialem, in ditione Galliæ, ter cantetur pro Rege versus *Domine, salvum fac Regem, et exaudi nos*

---

(1) 1 Cor. 10. 17.

in die quâ invocaverimus te. In aliis ditionibus eadem oratio pro supremo earum Principe.

X X X I I I.

Patresfamilias qui suorum, maximè domesticorum, curam habere tenentur, moneantur ut facultatem audiendi Missam et verbum Dei concedant saltem alternatim suis servis et ancillis, qui Missæ tempore domum custodire debent, vel in pascendis animalibus occupantur. Idem dictum esto pro communitatum ruralium opilionibus et bubulcis.

X X X I V.

Attendant Pastores ne organa et quæcumque instrumenta musica, in divinis officiis vel processionibus, modulationem profanarum et inhonestarum cantionum imitentur; sed non resonet nisi dulcis melodia, quæ Ecclesiæ hymnos et cantica spiritualia repræsentet ac pios affectus excitet.

X X X V.

Ne devotio et attentio populi christiani, intrà missarum solemnia, conciones aliaque divina officia, turbetur aut distrahatur, pauperes in templis mendicare non sinantur, sed ad eorum valvas stare jubeantur.

X X X V I.

Vesperas præcedat vel sequatur, pro prudentiâ Pastoris, recitatio et explicatio catechismi. Ad assiduam ejus frequentationem obligandi sunt pueri ante primam communionem et per unum integrum

annum post primam communionem, atque exhortandi generatim parochiani, ii maximè qui religionis suæ elementa ignorant.

XXXVII.

Sanctum tempus Adventûs et Quadragesimæ, tempus illud acceptabile, dies illos salutis, non frustrà elabi sinant Pastores; sed pia exercitia instituant, quibus suos parochianos per familiaria colloquia erudiant, per devotas preces ad cœlestia erigant, et ad magnas, quæ subsequuntur, solemnitates dignè celebrandas præparent.

XXXVIII.

Adhortandi sunt patres et matresfamilias ut preces *in communi, quotidiè saltem* vespere, altâ voce ab uno ex familiâ alternatim recitandas curent. Quàm idoneum fit illud laudabile exercitium ad pietatem fovendam et benedictionem Dei attrahendam, res ipsa et experientia docent.

XXXIX.

Ex antiquâ Ecclesiæ consuetudine, singulis diebus fideles campanæ sono invitentur, manè, meridie et vespere, ad recolendam Incarnationis et Resurrectionis Domini memoriam.

XL.

Maximè expedit rudem populum doceri, quis sit rectus, pius fideique catholicæ consentaneus, cultus Sanctorum et SS. Reliquiarum atque Imaginum,

ut obstruatur os impiorum ac hæreticorum, loquentium iniqua, (1) et Dei Ecclesiam calumniantium quasi idolatriæ faventem.

X L I.

Sacræ Imagines, tàm sculptæ quàm pictæ, in Ecclesiis nihil nisi decens, decorum et religiosum præ se ferant. Caveatur ne Imagines, quæ tanquam rudium libri, ad eruditionem et ædificationem exponuntur atque ab Ecclesiâ catholicâ commendantur, per mundanam et procacem venustatem vel per insolitas et ridiculas figuras scandalum pariant, atque contemptum et cachinnos impiorum moveant. Neque in ornandis Ecclesiis adhibeantur aulæa, quæ vel ethnicorum hominum, aut aliarum rerum à religione vel à rei veritate et loci sanctitate alienarum, speciem repræsentent.

X L I I.

In Ecclesiis nihil deponatur profanum, quod locum sacrum dedeceat, Vg. suppellectilia, frumenta, etc.

X L I I I.

Nullus Pastor vel Sacerdos, sub interminatione suspensionis, præsumat miracula publicare, vel Sanctorum Reliquias venerationi fidelium exponere, neque sodalitia aut nova pietatis exercitia, quantumvis utilia, in suam parochiam inducere, quæ Episcopi auctoritate non sint comprobata.

---

(1) Psal. 62. 12.

XLIV.

Sanctæ Reliquiæ in vasis honestis seu capsulis obseratis, locoque honesto, non tamen in tabernaculo SS. Sacramenti custodiantur. In festis solemnibus possunt super altare exponi, et in processione circumferri, quantùm fieri poterit, per clericos sacris initiatos.

XLV.

Nullæ processiones, publicæ supplicationes aliæque cæremoniæ publicæ, sine Episcopi auctoritate fiant, nisi eæ, quæ aut legibus ecclesiasticis aut diuturnâ consuetudine in omnibus parochiis constitutæ reperiuntur. Processiones extra fines parochiæ non excurrant. Omni suspicione et occasione scandali careant, decenter et modestè fiant et sanctâ religione sint dignæ.

XLVI.

Peregrinationes in honorem Sanctorum pietati quidem favent, quatenùs fideles vehementiori affectu incitant ad eorum virtutes imitandas, seque eorum meritis sociandos precibusque commendandos. Sed Pastores præmuniant suos subditos contra abusus et scandala, quæ sæpè indè oriuntur, et eas non nisi discreto consilio permittant, præsertim mulieribus et juvenibus utriusque sexûs, qui sub hoc prætextu officia domestica deserunt, et multis periculosis occasionibus se exponunt.

XLVII.

Cùm superstitio à verâ religione sit prorsùs aliena et quidem Dei cultum corrumpat, Pastores satagant diligenter, ut omne superstitionum genus è suâ parochiâ tollatur.

XLVIII.

Moneant ut nemo ad morbos vel vulnera hominum vel animalium curanda, superstitiosis remediis utatur, vel super rebus deperditis aut futuris eventibus, ac quibusvis secretis, divinos seu pro divinis se venditantes consulere præsumant et multò minùs in detestandâ arte magicâ ullo pacto se immisceant.

XLIX.

Et quoniam rudis populus sæpè ex ignorantiâ superstitionibus inquinatur, hanc ei regulam exponant, scilicet ibi inesse quid superstitiosum, cùm à re quâcumque expectatur quicumque effectus, quem res ipsa nec ex naturâ suâ, neque ex institutione divinâ, neque ex ordinatione vel approbatione Ecclesiæ producere potest.

L.

Quod energumenos spectat, illud ex evangelio et priorum Ecclesiæ sæculorum historiâ liquet, dæmones divino permissu posse hominibus et aliis creaturis abuti, reverâque abusos atque à Christo Jesu ejectos, eandemque ab ipso potestatem Apostolis suis et eorum successoribus datam esse. Sed aliquando homines nequam ex malitiâ fingunt se à dæmone

obsideri et miris modis exagitari. Sæpè etiam personæ credulæ, imbecilli ingenio vel atro et ignoto morbo deceptæ, sibi videntur dæmonium habere et ab eo vexari. Nonnunquam domus aut alia loca creduntur à malignis spiritibus infestari, cùm nonnisi ex causis purè naturalibus aliquid incommodi patiuntur, aut dolosis malevolorum vel irrisorum artibus inquietantur, quas posteà patefieri contingit. In ancipitibus istis casibus maximâ sagacitate et prudentiâ opus est, ut verum à falso secernatur. Quapropter erroribus, obloquiis et scandalis occurrere volentes, quæ impiorum malignitas libenter in sacrum ministerium refunderet, prohibemus sub interminatione suspensionis, ne ullus sacerdos, si quid hujusmodi, ut suprà expositum est, accidat, exorcismos ab Ecclesiâ approbatos aut alios quoscumque usurpare præsumat; sed rem nobis diligenter referat, ut omnibus maturè perpensis, quod expedierit statuamus.

TITULUS III.

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

ARTICULUS I.

Cum nullum aliud opus, inquit S. Concilium Tridentinum, (1) adeò sanctum ac divinum à Christi fidelibus

(1) Sess. 22.

tractari possit, quàm hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, quâ Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidiè immolatur, satis etiam apparet omnem opem et diligentiam in eo ponendam esse, ut, quantâ maximâ fieri potest, interiori cordis munditiâ et puritate atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.

II.

Enim verò Christus Dominus, qui per totum vitæ suæ mortalis cursum paupertatem ac humilitatem quàm maximè semper dilexit et sectatus est, magnificentiam in institutione Eucharistiæ affectavit, quam per duos Discipulos in cænaculo grandi strato apparari jussit: nos docere volens, hoc augustum mysterium, non solùm cum summâ veneratione, sed etiam, quoad fieri potest, cum solemni apparatu et insigni pompâ esse recolendum, ut sic Dei sub velis eucharisticis absconditi (1) dignitas et majestas aliquatenùs manifestetur.

III.

Curent ergò Pastores et alii ad quos pertinet, ut omnia quæ ad celebrationem Missæ requiruntur, sacri lapides altaris, calices, corporalia, purificatoria, albæ ac reliquæ vestes sacerdotales, omniaque paramenta altaris sint integra, honesta et munda, tantoque mysterio digna. Nimis absurdum foret, sacra sordescere, cùm profana nitescunt.

---

(1) Isaï. 45. 15.

IV.

Calices et ciboria stannea, jam pridem ex necessitate temporum tolerata, nunc sunt interdicta, nisi ob paup rtatem Ecclesiæ, specialis obtineatur licentia. Si non sint tota argentea, saltem pars superior seu cuppa sit argentea, intùs deaurata. Si monstrantia seu ostensorium SS. Sacramenti sit tantùm æneum vel stanneum, saltem lunula debet esse intùs deaurata.

V.

Vasis et indumentis sacris uti non licet antè eorum benedictionem, Episcopo reservatam.

VI.

Laici, præsertim uxorati, vasa sacra tangere prohibentur, nisi gravi de causâ et sine Episcopi licentiâ. Idem dictum esto de corporalibus, purificatoriis et pallis, quæ priùsquàm laicis mundanda tradantur, à subdiacono vel alio superioribus ordinibus initiato, in tribus aquis diversis lavanda sunt, quæ posteà in piscinam vel locum benedictum projiciantur.

VII.

Dùm Missa celebratur, nunquam sebaceæ solæ, sed cereæ candelæ in altari ardeant.

VIII.

Observetur diligenter ut ad Missæ sacrificium

non nisi recèns haustum vinum et recentes panes assumantur.

I X.

Adhibeatur Missale Metense et in ejus defectu Romanum, et caveatur quàm maximè ne, quocumque vel etiam pietatis pretextu, aliquid mutetur vel addatur, vel dematur in verbis aut cæremoniis, quæ ibidem præscribuntur.

X.

Ne sacerdotes, antè vel post Missam, piis intenti affectibus, interturbentur, silentium in sacristiâ ità servandum est, ut nulla vox nisi necessaria et submissa proferatur; ibique non nisi personæ utiles sunt admittendæ.

X I.

Sacerdotes, sanctum sacrificium oblaturi, cum modestiâ et reverentiâ singulari ad altare Dei accedant, clarâ, distinctâ et intelligibili voce Missam usque ad orationes secretas legant, has verò et Canonem voce submissâ; et toto sacratissimæ actionis tempore summa religionis affectio, decorum quid et quasi cœleste, ex omni corporis habitu, ipsoque vultu eluceat, ut qui Sacris adstant audiendis, ad sanctam mentis recollectionem et pietatem excitentur.

X I I.

Mirantur populi et carpunt ingens quidem discrimen inter Sacerdotes, quorum alii tàm celeriter,

alii tam lentè Missam celebrant. Extrema vitanda sunt. Commendanda et sectanda videtur pia mediocritas, media inter nimiam festinationem, quæ religiosas aures oculosque offendit, et inconditam prolixitatem, quæ fastidium affert potiùs quàm devotionem.

X I I I.

Hîc lugenda occurrit nonnullorum indevotio, qui ex ædibus suis et inanibus occupationibus ad altare, et ab altari ad ædes et ad inania rursùs quasi currentes properant, nullâ præviâ animi recollectione et præparatione ad sacra tremendaque mysteria; nullâ subsequente gratiarum actione pro immenso et ineffabili beneficio.

X I V.

Nullus Sacerdos vel Pastor, Missam ritu solemni celebrans, præsumat, sub pœnâ suspensionis in eum decernendæ, hymnum glorificationis vel Symbolum Nicænum, vel Præfationem detruncare et decantato duntaxat initio, cætera submissâ voce prosequi; Choro sine cantu hymnum et Symbolum prætermittente.

X V.

Nullus sacerdos sine Missali celebret, quantumvis confidat se omnia apprimè callere et memoriter recitare.

X V I.

Sacerdotes et præcipuè Pastores, ex hominibus assumpti, pro hominibus constituuntur ad offe-

renda dona et sacrificia pro peccatis, quemadmodùm pro populo, etiam et pro semetipsis; (1) idcircò eos adhortamur ut non tantùm diebus Dominicis et Festis solemnioribus S. Missæ sacrificium peragant, sed frequentiùs et quidem quotidiè, si possint.

XVII.

Ut fidelium pietas faciliori Missæ audiendæ occasione foveatur, et sacris mysteriis major et frequentior redeat reverentia, non plures, quantùm fieri poterit, Missæ privatæ simul celebrentur, sed certo ordine et per fixa temporis interstitia distribuantur. Si, dùm Missa solemnis cantatur, Missæ privatæ fortè dicantur, in istis sonus campanulæ supprimatur, ne turbet solemnitatem et solemnitati debitam attentionem.

XVIII.

Post meridiem nulla Missa celebretur, nisi fortè Missa pro die obitûs et Missa pro benedictione nuptiarum, quas usque ad horam primam pomeridianam differre licebit.

XIX.

Nullus Sacerdos, in celebratione Missæ vel in dispensatione Eucharistiæ, caput pileolo tegat sine Episcopi licentiâ, quæ nunquam concedetur, à Canone inclusivè usque ad Postcommunionem.

---

(1) Hebr. 5. 1.

X X.

Prohibetur, sub interminatione suspensionis, binatio seu duarum in die Missarum celebratio, exceptis diebus et casibus jure expressis, vel Brevi liturgico hujus Diœceseos vel mandato episcopali designatis, aut ex speciali licentiâ.

X X I.

Cùm pronaum legitur, vel concio habetur, nulla Missa in quocumque Ecclesiæ altari celebretur.

X X I I.

Sacerdotum hunc delectum observabit Pastor, ut neminem admittat ad Missæ celebrationem in suâ parochiâ, nisi qui parochiæ sit adscriptus aut sibi notus, vel litteras testimoniales et commendatitias à proprio Episcopo habeat.

X X I I I.

Prohibetur sub pœnâ incurrendæ ipso facto suspensionis, ne Missa celebretur in domibus privatis, oratoriis domesticis, capellis castrensibus vel ruralibus, absque nostrâ in scriptis datâ licentiâ. Ea verò non concedetur nisi post factam jussu nostro inquisitionem de commodo et incommodo, necnon de existentiâ omnium quæ ad ritè et decenter celebrandam Missam sunt necessaria. Singulis annis debebit renovari, et extemplò revocabitur, si exceptionibus in concessione expressis contraveniatur.

XXIV.

Cùm, justissimis de causis, Concilii Tridentini Patribus expedire visum non sit, ut Missa vulgari passim linguâ celebraretur (1), mandavit sancta Synodus Pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter ea quæ in Missa leguntur populo christiano exponant, undè ille sacra quæ peraguntur meliùs intelligat, et majorem ædificationem uberioremque fructum accipiat.

XXV.

Fideles qui Missæ sacrificio intersunt, caveant quidquam agere quo res sacra interturbetur, devotè et non nisi submissâ voce preces horarias ex libro, vel Rosarium recitent. Spiritualiores verò et meditationis capaciores, præclariùs agent, si celebrantem attentâ mente sequantur, et augusta, quæ pertractat, Mysteria interiori contemplatione venerentur.

XXVI.

Qui in Missæ sacrificio ministrat, nullum habeat librum in manibus, neve quicquam recitet; sed totus attentus sit ut pio studio ministerium suum impleat.

---

(1) Sess. 22. c. 8.

TITULUS IV.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Articulus I.

Sacramenta novæ legis sunt fontes Salvatoris (1), undè hauriuntur (2) aquæ vivæ salientes in vitam æternam. Per illa, ait Concilium Tridentinum, omnis vera justitia incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur; in se continent spiritalem alimoniam simul *et medelam*, pro vario hominis statu et multiplici morbo, à primis vitæ instantibus usque ad extremum agonem accommodatam. Undè præcipuum Pastorum munus est docere populos sibi subditos de institutione, diversitate, utilitate, necessitate, efficaciâ Sacramentorum, eisque simul fidem, reverentiam, pietatem et omnes dispositiones instillare, quarum defectu non tantùm sine ullo fructu, sed cum novo peccato et sacrilegio reciperentur.

I I.

Quoties Sacramenta Pastores administrant, exhor-

(1) Is. 12. 2. (2) Joann. 4. 14.

tationem captui sumentium et præsentium congruam, prout feret occasio, non omittant.

I I I.

Valida quidem sunt Sacramenta, à Ministro profano et peccatore collata, quia non à probitate Ministri, sed à meritis et voluntate Christi totam suam virtutem mutuantur; sed væ malo et impio Sacerdoti, præsertim impudicitiæ sorde inquinato, qui temerario ausu sanctum Ministerium usurpat; tot enim patrat sacrilegia, quot administrat et recipit Sacramenta. Caveant ergo diligentissimè Pastores, ut, quâ decet, animæ munditiâ Sacramentis conferendis se accingant; ne, dùm aliis salutem procurant, ipsi sibi damnationem acquirant (1). Mundamini, inquit Isaias propheta, qui fertis vasa Domini (2).

I V.

Si tamen Sacerdos mortalis peccati sibi conscius, non habens copiam confessarii, necessitate urgente et ex officio celebrare vel Sacramenta administrare teneatur, contritus quàm maximè poterit et tremebundus ministerium suum adimpleat, et quàm primùm confiteatur et pœnitentiam agat. Væ autem illi, si tristes nimis, in quas se injecit, angustiæ non sint deinceps semper præsens et sufficiens monitio, quâ ad vigilantiorem et severiorem puræ ac sacerdotalis vitæ custodiam moveatur.

---

(1) Rom. 13. 2. (2) Cap. 52. 11.

V.

Si quis Sacerdos seu Pastor, (quod absit) præ nimiâ potatione, non benè suî compos vel aliàs indecenter, aliquam sacram functionem obierit, et prò illatâ sancto ministerio injuriâ et dato scandalo correptus non emendetur, sciat se pœnâ suspensionis esse plectendum.

V I.

In conferendis Sacramentis sint sacri Ministri veste talari, superpelliceo, vel albâ et stolâ induti.

V I I.

Sanctum chrisma et sancta olea in mundis et honestis vasculis, *scilicet* argenteis aut stanneis, non verò cupreis, testaceis aut vitreis recondantur. In loco convenienti sub serâ, non autem in tabernaculo SS. Sacramenti, custodiantur.

V I I I.

Receptis S. oleis et novo chrismate, Pastores veteribus ampliùs non utantur, quæ à die Pentecostes interdicuntur; sed quidquid ex illis superfuerit, si liquidum, infundatur lampadi, quæ lucet antè venerabile Sacramentum; sin autem bombyci vel gossipio immixtum fuerit, super piscinam comburatur. Si per annum sacra olea deficiant, aliquantulùm olei olivarum, non verò alterius olei aut liquoris, admisceatur, ità ut plus sit olei sacri quàm communis.

I X.

Dispensatores Sacramentorum non alio utantur libro quam Rituali Metensi.

X.

Ne quis verò in Sacramentorum administratione oberret, nullum Sacramentum conferat, præter Pœnitentiam et Eucharistiam, nec ullum sacrum ritum perficiat sine Rituali, nisi magna urgeat necessitas et Rituale haberi facilè non possit.

X I.

Omnes preces, maximè verò formas essentiales Sacramentorum, tractim, distinctè et attentè pronuntient, et per reverentiam et pietatem, quâ ipsi Sancta tractant, in circumstantibus religiosam venerationem excitent. Si qui fortè irreverenter et nugatoriè fabulentur, eos comiter de re sacrâ quæ peragitur admoneant.

X I I.

Attendant se graviter peccaturos, si quid de approbatis Ecclesiæ ritibus temerariè rejiciant, mutent, addant vel demant, excepto necessitatis casu, salvâ semper rituum essentialium integritate.

X I I I.

Ad Sacramenta conferenda vocati, officio suo fungi ne morentur, neque tergiversentur sub quovis prætextu horæ importunæ, temporis intempestivi,

longioris seu difficilioris viæ, aut cujusvis occupationis, vel etiam morbi contagiosi et pestilentis; reputantes quòd, si quem, ipsorum negligentiâ vel ignaviâ, salutis auxiliis fraudatum ex hâc vitâ migrare contigerit, sanguis ejus de manu eorum requiratur (1). Se promptos igitur et faciles exhibeant, sua libentissimè impendant et se ipsos superimpendant (2) pro animabus ovium suarum.

XIV.

Parochianos suos moneant, ut, cùm aliquis in morbum inciderit, statim eos de ejus statu certiores faciant; non verò, ut sæpè nimis, ad ultimum ferè agonem procrastinent; undè evenit ut ægroto non possit tempore opportuno succurri.

XV.

Non præsumant, excepto mortis articulo, extrà limites suæ parochiæ, sine Pastoris loci aut nostrâ speciali licentiâ, Sacramenta administrare vel qualemcumque jurisdictionem exercere.

XVI.

Ne dent Sanctum canibus: (3) peccatores publicos, qui in crimine notorio vivunt, qui artes illicitas exercent, ad Sacramenta non admittant, donec publica præbeant conversionis indicia. In casibus difficili-

---

(1) Ezéch. 3. 18.
(2) 2 Cor. 12. 13.
(3) Matt. 7. 6.

bus, ubi de publicitate non certò constat, cautè et prudenter procedant, nosque, si res moram patiatur, vel delegatos nostros, pro majori opportunitate, consulant.

XVII.

Qui altari deserviunt, cum altari participant, (1) et dignus est operarius mercede suâ. (2) Hortamur igitur parochianos, ut corde magno et animo volenti suum præstent Pastoribus honorarium. Pastores verò ipsos etiam hortamur, ut quæ gratis acceperunt, gratis dent dispensatores Mysteriorum Dei. (3) Avaritia, quæ est idolorum servitus, sanctæ Religionis ministerium non polluat neque inhonoret. Absit ut à pauperibus aliquid accipiant, et quidem quoad oblationes, quas piæ consuetudines vel jus ipsum illis assignant, sine ullâ cupiditatis specie vel suspicione se gerant. Meminerint satius esse ut debiti jacturam faciant, quàm ut repetitione quantumvis legitimâ animos offendant et avertant; nihilque Pastorem magis commendare et ei populos devincire, quàm cùm vident eum non (4) quæ sua sunt quærere, sed quæ sunt Jesu Christi.

XVIII.

Singuli actus baptismi, matrimonii atque etiam ecclesiasticæ sepulturæ in registris, quolibet ineunte anno ad ipsos mittendis, inscribantur diligenter, cum

---

(1) Cor. 9. 13.
(2) 1 Tim. 5. 18.
(3) Matt. 10. 1.
(4) Phil. 2. 21.

circumstantiis competentibus et subscriptionibus fidem facientibus. Omnia scribantur sine ullâ interruptione, liturâ, interlineâ, notâ arithmeticâ seu chrifro. Si quid omissum sit, addatur in margine, cum approbatione et primâ litterâ subscriptionum, vel in fine actûs ante subscriptiones. Si quæ verba obliterari oporteat, eorum numerus notetur pariter in margine vel in fine actûs. Si quis eorum ad quos subscribere pertinet, scribere nesciat, ejus rei mentio fiet. Omnes prædicti actus conficiendi sunt sub duplici exemplari; unum anno elapso ad cameram episcopalem mittetur, alterum in domo parochiali remanebit et accuratè custodietur.

TITULUS V.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Articulus I.

Cum ex verbis Christi Domini et Ecclesiæ catholicæ traditione constet Baptismum in lege Evangelicâ esse necessarium necessitate medii ad salutem, et sine eo recepto vel in re vel in voto, neminem, nec ipsos quidem infantes, posse introire in regnum Dei (1),

(1) Joan. 3. 5.

docendi sunt populi, quanti sit momenti recèns natorum saluti sine morâ providere, et quàm redarguenda negligentia, ex quâ infans sacro lavacro non ablutus moreretur.

II.

Fons sacer sub operculo et serâ diligenter servetur. Sabbato Sancto et vigiliâ Pentecostes, veteres aquæ in piscinam projiciantur, et novæ fonti per Pastorem vel alium in sacris Ordinibus constitutum mundato infundantur et ritu præscripto consecrentur. Si videantur non sufficere, addatur aqua non benedicta in minori quantitate. Si verò omninò deficiant vel corrumpantur, novæ aquæ ritu consecrentur, qui extrà Sabbatum Paschæ et Pentecostes in Rituali Metensi præscribitur.

III.

In Baptismi administratione adhibeatur ad infundendam aquam cochlear seu vas uni huic sacro usui destinatum. Ne fiant unctiones intincto pollice, sed stylis seu bacillis ex stanno vel argento in eum usum comparatis, qui singuli in singulis unctionum sacrarum vasculis recondantur.

IV.

Nulli, nequidem Pastori, liceat in domibus privatis, vel sacellis domesticis aut etiam in Ecclesiis, in quibus sacri fontes non existunt, sine nostrâ licentiâ, infantem baptisare seu, ut aiunt, assecurare, nisi præsenti mortis periculo subjaceat.

V.

Baptisandis non imponantur nomina profana quæ gentilium memoriam referent, nec ea quorum cum cognominibus conjunctio ridicula sit; sed nomina Sanctorum et eorum præcipuè qui à Christo nato vixerunt; ut quorum nominibus insigniti fuerint, virtutes imitentur.

V I.

In registris parochialibus, baptisatorum et parentum, patrini et matrinæ nomina, cognomina, status et domicilium, necnon dies, mensis et annus nativitatis et Baptismi baptisatorum sedulò inscribantur. Pater, si præsens est, patrinus et matrina subscribant. Si plures gemelli baptisentur, totidem distincti actus conficiantur. Magnâ prudentiâ et cautione opus est, præsertim cùm filii spurii baptisantur, ne quid nimis in actibus scribatur, quod familiarum honorem offendat.

VII.

Unus ad summum patrinus et una matrina infantem è sacro fonte suscipiant.

VIII.

Ad hoc munus non sunt admittendi infideles, hæretici, peccatores publici, nec pueri qui usum rationis nondum habent et præcipua Religionis christianæ mysteria ignorant.

IX.

Improbamus, quòd sacerdotes et clerici sacris Ordinibus initiati, patrinorum officium obeant, nisi gravibus de causis et ex nostrâ licentiâ.

X.

Moneantur patrini et matrinæ de suis obligationibus ergà suos filios et filias spirituales, pro quibus se fidejussores apud Deum constituerunt, necnon de cognatione spirituali, quam cum eis eorumque patre et matre contraxerunt: et hæc cognatio, si quis vices gerat patrini absentis, (idem dictum esto de matrinâ) non à procuratore, sed à solo patrino ut tali designato contrahitur. Ista autem patrini per alium repræsentatio cum utriusque nominibus in actu baptismali est referenda.

XI.

Patrinus et matrina, qui infantem, domi in casu necessitatis sine cæremoniis ablutum, inconsultò fortè suscipiunt, prædictam affinitatem non contrahunt.

XII.

Pater vel mater proprium infantem extrà necessitatem baptisans, propter eamdem indè contractam affinitatem, excidit à jure conjugali.

XIII.

Sciant catholici sibi non licere infantem, qui à

ministro hæretico baptisatur, nec per se neque per procuratorem suscipere.

XIV.

Sæpè exponant Pastores parochianis suis ritus Baptismi essentiales, pro casu necessitatis, et imprimis satagant ut eos probè calleant obstetrices, quibus baptisandi necessitas ex officio sæpè sæpiùs incumbit, eæque formam Baptismi non aliâ quàm vulgari linguâ pronuntient.

XV.

Infantes expostitii baptisentur sine conditione quidem, si nulla circa eos inveniantur collati Baptismi indicia; sub conditione verò, si dubia et probabilia tantùm et non omninò certa deprehendantur.

XVI.

Cùm experientiâ compertum sit, mulieribus præsertim et ipsis etiam obstetricibus non plenam et integram fidem habendam esse, utpotè quæ turbatæ et vix suî compotes, cùm in urgenti periculo baptisant, haud satis sciant, benè an malè fecerint, et quidem temerariè et falsò affirment se omnia ritè peregisse; in his casibus Baptismus est sub conditione iterandus, quoties desunt testes fide digni, qui nihil necessarii omissum esse confirment.

XVII.

Moneantur obstetrices catholicæ, quòd sibi non liceat hæreticorum infantes ad eorum Baptismum deferre.

XVIII.

Cùm infans propter mortis periculum domi ablutus est, cæremoniæ Baptismi in Ecclesiâ supplendæ sunt, totius rei mentio in registris parochialibus facienda et distinguendus dies Baptismi collati à die cæremoniarum suppletarum. Quòd si cæremoniæ solæ sine iteratione Baptismi suppleantur, patrinus et matrina monendi sunt, se nullam cognationem spiritualem contrahere.

XIX.

Matribus, nutricibus et aliis quibuscumque sub gravi piaculo prohibetur, ne cum infantulis in eodem lecto decumbant ob periculum suffocationis.

XX.

Cùm in thoro immaculato et in partu legitimo nulla sit culpa nec immunditia, puerperæ non indigent purificatione, nec ullâ lege ab ingressu Ecclesiæ prohibentur, donec purificentur. Attamen juxtà laudabilem Ecclesiæ consuetudinem, cùm à puerperio primùm domo exeunt, ad Ecclesiam parochialem se conferant, Deo gratias acturæ, ei infantem oblaturæ, et à proprio Pastore aut ab alio Sacerdote, ex istius licentiâ, benedictionem accepturæ. Benedicendæ non sunt illæ, quas constat ex illicito concubitu peperisse, nisi matrimonium fuerit subsecutum, nec eæ quarum infans sine Baptismo mortuus, vel ab eis in lecto suffocatus sit.

XXI.

Ut filii Catholicorum adulti ad Baptismum admittantur, eadem media sunt adhibenda, eædem pro ætate congruæ dispositiones exigendæ, quibus adulti baptizati ad primam communionem præparantur.

XXII.

Cùm, juxtà fidem catholicam, Baptismus à ministris hæreticis collatus sit validus, hæretici qui in Ecclesiæ catholicæ gremium redire desiderant, nunquam sunt rebaptizandi, nisi certò constet formam Baptismi vitiatam in eorum sectâ adhiberi; sed antequàm ab hæresi absolvantur, debent in doctrinâ catholicâ benè instrui et probari an sincera sit eorum abjuratio et vera conversio. Utrùm omissæ in eorum baptismo cæremoniæ supplendæ sint, consuletur Episcopus.

XXIII.

Quod attinet ad Baptismum adultorum infidelium et præsertim Judæorum, qui religionem christianam amplecti postulant, res est gravis momenti, in quâ maxima cautio est adhibenda, et non nisi consulto Episcopo procedendum. Præparandi sunt catechumeni ad Sacramentum regenerationis eodem modo quo lapsi post Baptismum ad Sacramentum reconciliationis. In eis requiritur non tantùm fides quæ doctrinam christianam credat, sed fides quæ per charitatem operatur; ita ut sincera cordis conversio et

totius vitæ institutio omnem simulationis et inconstantiæ suspicionem excludant.

X X I V.

Adhortandi sunt fideles ut anniversarium Baptismi diem piè celebrent, vota quæ Deo voverunt renovent et Sacramentorum receptione confirment. Israelitis ab ægyptiacâ servitute liberatis sic præcepit Moyses: habebitis hanc diem in monumentum et celebrabitis eam solemnem cultu sempiterno (1). Quantò potiori jure Christiani memoriam diei, in quâ per gratiam baptismalem à dæmonis imperio redempti sunt, recolere debent. Iisdem pietatis operibus celebrent diem festum Sancti, qui illis in patronum datus est, et per sedulam. ejus virtutum imitationem, nominis et patrocinii dignos se præstare studeant.

---

(1) Exod. 12. 24.

TITULUS

TITULUS VI.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Articulus I.

Sacramento Baptismi succedit aliud, quod à sanctis Patribus nunc Confirmatio, nunc manûs impositio, vel Sacramentum chrismatis aut unctio appellatur: in quo quidem datur plenitudo Spiritûs Sancti cum omnibus *multiformis* gratiæ donis; ut qui regenerati sunt ad vitam, confirmentur et roborentur ad pugnam, indutique armaturâ Dei, possint stare adversùs insidias diaboli, resistere in die malo et in omnibus perfecti stare (1).

II.

Moneant itaque Pastores, quàm multis gratiis illi se privent et quàm malè in seipsos peccent, qui hoc Sacramentum negligunt. Nos verò, pro officio nostro, nulli desideranti deerimus, et eâdem diligentiâ quâ cœpimus, quantùm poterimus, Deo juvante,

(1) Eph. 6. 11.

perseverabimus in singulis Diœcesis nostræ partibus confirmandos sacro chrismate ungere, atque super eos manus imponere, ut accipiant Spiritum Sanctum. Ad pretiosa ejus dona præsertim pueri tempore opportuno disponantur. Illis explicetur instructio de Sacramento Confirmationis, per interrogationes et responsiones, quam typis mandari curavimus.

III.

Expedire duximus, pueros ad Confirmationem non admitti nisi post primam eorum communionem, confidentes eos tunc intelligentiâ, doctrinâ et pietate magis probatos, certiorem indè et uberiorem fructum esse percepturos.

IV.

Præmoneantur Confirmandi, eum qui peccato mortali inquinatus, et non contritus nec confessus, ad hoc Sacramentum accedit, sacrilegii reum esse.

V.

Consuetudo hujus diœcesis invaluit, ut confirmandis non dentur patrini nec matrinæ.

VI.

Non est præceptum, sed pietatis meritum, jejunos ad receptionem Confirmationis accedere.

VII.

Non confirmabuntur nisi illi qui à Pastore suo

præsentabuntur, in manibus schedulam habentes ab eo subscriptam, in quâ inscriptum sit præcipuum nomen quod illis in Baptismo datum est.

VIII.

Pastores qui pueros ad Confirmationem comitantur, advigilent ut ii præsentes sint ab initio cæremoniæ, et non solùm chrismationem, sed primò manuum impositionem accipiant; cùm utraque ad validitatem Sacramenti necessaria reputetur.

IX.

Ad primam tonsuram prærequiritur receptio hujus Sacramenti.

X.

In registris parochialibus inscribenda sunt nomina eorum qui Sacramentum Confirmationis receperunt, ut, prout expedierit, innotescat quibusnam sit collatum.

TITULUS VII.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Articulus I.

Ea quæ de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento dicturi sumus, meliùs auspicari non possumus quàm per sancti Thomæ expositionem. Nullus enim sanctorum Patrum accuratiùs et præclariùs de hoc ineffabili Mysterio disseruit. O pretiosum, inquit, et admirandum convivium, salutiferum et omni suavitate repletum! quid enim hoc convivio pretiosius esse potest, in quo non carnes vitulorum et hircorum, ut olim in lege, sed nobis Christus sumendus proponitur, verus Deus? Quid hoc Sacramento mirabilius, in quo panis et vinum in Corpus et Sanguinem Christi substantialiter convertuntur, ideòque Christus, Deus et homo perfectus, sub modici panis et vini specie continetur, et à fidelibus manducatur? Nullum etiam Sacramentum est illo salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundantiâ impinguatur. Suavitatem denique hujus Sacramenti nullus dignè exprimere sufficit; per quod spiritalis dulcedo in suo fonte gustatur, et recolitur memoria illius,

quam in suâ Passione Christus monstravit, excellentissimæ charitatis. Undè, ut arctiùs hujus charitatis immensitas fidelium cordibus infigeretur, in ultimâ cœnâ hoc Sacramentum instituit, tanquam Passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipso factorum maximum, et de suâ contristatis absentiâ solatium singulare.

I I.

Doceantur ergo assiduè fideles de summâ dignitate ineffabilis hujus Sacramenti, de exhibendâ illi adoratione eâdem, quæ vero Deo debetur, de desiderio consequendi tot tantasque indè profluentes gratias, de reverentiâ et sanctitate, quâ ad illud accedendum est. Duo maximè attendant quæ sine grandi piaculo omitti nec separari possunt. 1° Sacramentum recipiant. Nisi enim, ait Christus Dominus, manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (1). 2° Probet seipsum homo, ait Apostolus. Qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini (2).

I I I.

Primâ Dominicâ Quadragesimæ et Dominicâ Passionis publicetur in pronao decretum Concilii Lateranensis quarti, à Concilio Tridentino renovatum, de annuâ confessione et de communione paschali, et

---

(1) Joan. 6. 54.　　(2) 1 Cor. 11. 29.

moneatur populus christianus, quòd, etsi jam non urgeantur pœnæ contra delinquentes latæ, nihil idcircò de vi et obligatione præcepti detractum sit.

I V.

Propter confessariorum raritatem et penuriam, qui fidelium desiderio non sufficiunt, extendimus tempus communionis paschalis à Dominicâ Passionis inclusivè, ad Dominicam secundam post Pascha etiam inclusivè.

V.

Præcepto communionis paschalis non satisfacit, qui extrà suam parochiam sine rationabili causâ, et Pastoris vel Episcopi licentiâ, sanctam Eucharistiam recipit. Qui toto tempore paschali propter negotia sua in itinere detinetur, ei permittimus ut pro paschate confiteatur et Corpus Christi recipiat in extraneâ parochiâ, ubi sistit.

V I.

Qui legitimis rationibus impeditur, ne præfixo tempore paschatis præceptum adimpleat, potest post Pascha differre; prævenire autem, laudabilis diligentiæ est.

V I I.

Ægrotus, qui aliquot diebus ante tempus paschale viatico refectus est, adhuc ad communionem paschalem suo tempore tenetur; ægrotus verò, qui tempore paschali viaticum recipit, eo ipso satisfacit præcepto communionis paschalis.

VIII.

Redarguenda est crassa ignorantia vel potius impietas eorum qui arbitrantur communionem paschalem sibi non esse prætermittendam, quamvis non sint ritè dispositi: quasi verò per qualemcumque, etiam indignam et sacrilegam communionem, possit præcepto divino et ecclesiastico satisfieri. Idem dictum esto de annuâ confessione.

IX.

Sicut corpus pane materiali, ita anima spirituali cibo sæpè reficienda est, nihilque ad sanctam et inculpatam vitam magis conducit quàm cœlestis hujus panis frequens manducatio. Apostolicis temporibus *fideles illo recreabantur* sæpissimè, et ideò tantis virtutibus eminebant, tantam fortitudinem adversùs tentationes et persecutiones exhibebant. In istâ verò pessimorum sæculorum fæce, adeò modica est fides, adeò refrixit charitas multorum, ut vix semel in anno tàm salutare sumant subsidium. Indè hoc experiuntur, de quo queritur rex propheta; aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. (1) Sic jejuni deficiunt in viâ mandatorum Dei, et funestis lapsibus in præcipitium ruunt.

X.

Quapropter enixè adhortandi sunt Christi fideles, ut frequentiùs, pro cujusque majori devotione et per-

---

(1) Psal. 105. 5.

fectione, ac saltem in solemnioribus festis, ad sacram mensam piè accedant.

X I.

Felices animæ, quæ sic vivunt ut quolibet mense, feliciores quæ sic vivunt ut singulis hebdomadis, felicissimæ quæ (1) sic vivunt ut quotidiè mereantur panem eucharisticum accipere. Hæ vota implent sacrosanctæ Synodi Tridentinæ, quæ optat ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent (2). Porrò has cœlestes animas discernere et dirigere, hoc opus, hic labor est sagacium confessariorum, et in viis Domini exercitatorum.

X I I.

Jùxtà antiquam Ecclesiæ consuetudinem, S. Eucháristia administretur, quantùm potest, intrà Missarum solemnia, potiùs quàm ante vel post celebratam Missam.

X I I I.

Non licet cum ciborio eos benedicere, qui ad sacram synaxim intra vel extra Missarum solemnia accedunt.

X I V.

Pastores, in præparandis ad primam communio-

---

(1) S. Chrys. (2) Sess. 22. c. 6.

nem pueris, omnem curam et diligentiam impendant, non per aliquas tantùm hebdomadas, sed à tenerioribus annis opus tanti momenti auspicentur, ut pueri pro legitimâ discretionis ætate, christianâ doctrinâ imbuti, morum disciplinâ informati, togâ innocentiæ conservatæ vel reparatæ induti, probati et digni ad mensam Domini admittantur; in hâc enim magnâ et totiùs vitæ præcipuâ actione positum est faustum futuræ eorum conversationis et æternæ salutis præsagium.

X V.

Hæc pia cæremonia peragatur cum maximâ quâ poterit solemnitate; ut tam sanctæ actionis memoria puerorum animis altiùs imprimatur, ipseque populus religiosâ majestate moveatur et ædificetur. Exhortatio sit brevis, movendis animis idonea, et tanti operis dignitati congrua. Renovabuntur vota Baptismi manè aut vespere, prout Pastor opportunum judicaverit. Ante Missam cantabitur hymnus *Veni, Creator*. Fiet expositio et dabitur benedictio SS. Sacramenti in Missâ et Vesperis. Omnia per gratiarum actionem et hymnum *Te Deum* complebuntur. Hæc verò solemnitas, cum expositione et benedictione SS. Sacramenti hymnoque *Te Deum*, semel tantùm in anno permittitur,

X V I.

Optamus et Pastores adhortamur ut laudabilem consuetudinem aliquarum parochiarum imitentur,

in quibus pueri primam suam communionem anno sequenti cum novis mensæ sacræ participibus renovant. Hæc solemnis renovatio bona eorum proposita confirmat, pietatem corroborat et gratiam resuscitat, quâ vires adduntur ad pravos cum ætate crescentes appetitus coercendos.

XVII.

Prohibetur, sub interminatione suspensionis, ne ullus Pastor vel Sacerdos puerum extraneæ parochiæ ad primam communionem sine proprii Pastoris aut Episcopi licentiâ admittat.

XVIII.

Ante venerabile Sacramentum lampas diù noctuque luceat et ardeat, ac si obstet magna Ecclesiæ paupertas, saltem intra divina Officia.

XIX.

Sancta Eucharistia in tabernaculo mundo sola servanda est, quod tentorio exteriùs opertum, et panno coccineo intùs vestitum sit; ciborium verò in quo reconditur, velo serico superinduatur.

XX.

Singulis saltem mensibus, et sæpiùs, si loci humiditas id requirat, sacræ species renoventur, et novarum hostiarum consecratione peractâ, veteres et earum fragmenta à Sacerdote reverenter sumantur.

XXI.

Comparetur in singulis parochiis vasculum rotun-

dum, argenteum, intùs deauratum, in quo decentiùs SS. Sacramentum custodiatur et in tabernaculo remaneat, dùm S. Viaticum in ciborio publicè defertur; ut tunc temporis, ab introeuntibus in templum SS. Sacramentum, non verò inane tabernaculum, adoretur.

X X I I.

Cùm S. Viaticum publicè ad infirmos defertur, illud fiat decentissimè ac summâ cum veneratione, expansâ desuper umbellâ seu baldachino, si commodè haberi possit. Æditwus superpelliceo indutus et alii præcedant, capite detecto, cum facibus accensis, et campanulâ quæ sono populum præmoneat de adoratione SS. Sacramento exhibendâ, et de charitate ergà infirmum precibus juvandum. In cubiculo benè purgato, mensa mappâ nitidâ vel saltem alio linteo mundo honestè constrata, et Cruce, luminaribus atque vasculo aquæ benedictæ instructa præparetur, et omnia, quantùm fieri poterit, sint digna tanto Hospiti recipiendo.

X X I I I.

Conceduntur 40 dierum indulgentiæ iis qui S. Viaticum, dùm ad infirmos defertur, cum debitis dispositionibus comitantur.

X X I V.

Cùm propter impedimenta occurrentia secretò S. Viaticum defertur, Pastor sacculum sericum habeat,

collo appensum ad pectus, sub veste vel pàllio; in hoc sacculo repositum sit vasculum supràdictum cum unâ hostiâ consecratâ, infirmo dandâ. Modestè et demissis oculis incedat, neminem salutans nec alloquens. Infirmi cubiculum ingressus, sacris vestibus induatur et omnia ritu præscripto perficiat.

X X V.

Pastor S. Viaticum ægroto ferens, si eum ità morbo affectum et impeditum inveniat, ut illud ei ritè administrare non possit; eum adhortetur ad piè orandum, SS. Sacramentum adorandum, illudque, si non sacramentaliter, saltem spiritualiter recipiendum per fidem et animæ desiderium. Deindè det illi benedictionem cum SS. Sacramento.

X X V I.

Pueris gravi et periculoso morbo decumbentibus S. Viaticum non est denegandum, si satis habeant christianæ doctrinæ et discretionis, ad discernendum corpus Domini. Sed si convaluerint, præparabuntur et admittentur cum aliis pueris ad primam communionem.

X X V I I.

Viaticum dandum est ægroto, qui sanus eodem die S. Eucharistiam sumpsit, et post decimum quemque diem potest ei iterùm atque iterùm, pro devotione, deferri.

XXVIII.

Potest quandoque dari sancta Eucharistia, proindèque absolutio sacramentalis, amentibus, fatuis, phrænetícis, energumenis, surdis et mutis, si lucida habeant intervalla, si possint in fidei elementis erudiri et Corpus Christi discernere, nullusque sit irreverentiæ timendæ locus. Sed cùm casus illi pleni sint difficultatis et periculi, in iis plerumque nihil agendum inconsulto Episcopo.

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPUT I.

DE NECESSITATE HUJUS SACRAMENTI.

ARTICULUS I.

Dives et multiplex elucet in reparandis humanæ nostræ naturæ lapsibus divina bonitas et clementia, Christique fidelibus à baptismali justitiâ peccando excidentibus offert alterum efficacissimum in Sacramento Pœnitentiæ remedium (1); quod quidem

(1) Trid. sess. 14. c. 2.

lapsis post Baptismum ita necessarium est, ut et nondum regeneratis ipse Baptismus, et aptissimè à sanctis Patribus secunda post naufragium tabula appellatur.

CAPUT II.

DE CONFESSARIORUM ET PŒNITENTIUM OBLIGATIONIBUS.

ARTICULUS I.

Christus Dominus (1), cùm Apostolis suis dedit potestatem remittendi et retinendi peccata, eosque et eorum successores præsides et judices constituit, quibus omnia mortalia fidelium crimina deferrentur, ut de eorum remissione et retentione, cognitâ scilicet causâ, atque eorum declaratione in sancto tribunali factâ, æquam sententiam pronuntiarent, insufflavit super eos, dicens : Accipite Spiritum Sanctum. Quo solemni facto nobis ostendit, supremam potestatem clavium competenter et dignè ab ipsis exerceri non posse, nisi Spiritum Dei habeant, Spiritum veritatis quo illuminentur, et Spiritum charitatis quo accendantur.

II.

S. Concilium Tridentinum definit nullius momenti eam absolutionem esse, quam Sacerdos in eum pro-

(1) Trid. sess. 14. c. 6.

fert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem. (1) Quapropter tanto malo et damno fidelium occurrere cupientes, quemlibet Sacerdotem ipso facto suspendimus, qui à nobis nos approbatus ullum absolvere præsumeret, vel qui sciens et volens limites excederet suæ approbationis, pro ratione temporis vel loci, vel personarum vel peccatorum restrictæ, exceptis casibus jure expressis.

III.

Juxtà definitionem ejusdem Concilii Tridentini, in articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. (2) Nullus tamen etiam approbatus ægrotorum confessiones sine Pastoris licentiâ audire præsumat, *nisi periculum sit in morâ.*

IV.

Pastor vel Sacerdos ad unam parochiam deputatus, vel à nobis simpliciter approbatus, eo ipso pro universâ diœcesi est approbatus, nisi nobis aliter visum fuerit. Nullibi tamen confessiones audiat sine licentiâ Pastoris.

V.

Nullus Sacerdos extraneus, etiam alibi approbatus, præsumat, sub pœnâ nullitatis, absque nostrâ approbatione se immiscere confessionibus in nostrâ diœcesi audiendis.

---

(1) Sess. 14. c. 7. (2) Sess. 14. c. 7.

VI.

Concedimus tamen, quandiù aliter nobis visum non fuerit, Sacerdotibus approbatis vicinarum diœceseon facultatem audiendi confessiones nostrorum diœcesanorum (de consensu Pastorum sub pœnâ nullitatis) sed solùm in parochiis nostræ diœcesis, quæ supràdictorum Sacerdotum domicilio adjacent.

VII.

Prohibemus ne ullus Sacerdos etiam approbatus audiat confessiones monialium in domibus regularibus à nobis approbatis conversantium, nisi speciale mandatum habeat.

VIII.

Cùm omnibus post baptismum peccantibus confessio sit jure divino necessaria ad salutem, et fideles, refrigescente charitate, tanti momenti præceptum negligerent et omitterent, S. Concilium Lateranense quartum, sanxit ut omnis fidelis ustriusque sexûs saltem semel in anno proprio Sacerdoti vel de ejus licentiâ alieno Sacerdoti confiteretur. Istius autem confessionis annuæ tempus, constitutione S. Concilii non determinatum, laudabili consuetudine refertur ad tempus communionis paschalis. Hæc constitutio in singulis parochiis primâ Dominicâ Quadragesimæ et Dominicâ Passionis publicabitur, ut jam suprà præscriptum est.

IX.

Pastores, pro suâ prudentiâ, vel generalem dabun

bunt omnibus parochianis suis licentiam pro paschate confitendi cui voluerint approbato Sacerdoti, vel particularem, verbalem aut scriptam, quam unusquisque petere tenebitur; sed petenti sine ullâ difficultate concedetur; eam etenim ideò præcipuè petendam præcipimus, ut hâc occasione prudenter utantur ad danda, quæ expedierint, paterna monita.

X.

Moneantur fideles, præsertim ii qui rariùs confitentur, ut saltem initio Quadragesimæ ad sacrum tribunal accedant, et dignis pœnitentiæ fructibus ad communionem paschalem se præparent.

X I.

Qui tempore paschali confiteri neglexit, et alio tempore vult præcepto satisfacere, ei permittimus ut inter confessarios approbatos eligat quem voluerit.

X I I.

Si quis ad Sacramentum Pœnitentiæ tempore paschali accesserit in suâ parochiâ vel extrà eam, de nostrâ aut Pastoris licentiâ, et forsan invalidè absolutus fuerit; quamvis generali præcepto annuæ confessionis non satisfecerit, nihilominus poterit, absque novâ licentiâ, extrà parochiam suam confessionem iterare.

X I I I.

Volumus (non tamen sub pœnâ nullitatis) ut

quilibet confessarius ad confessionem ægrotantis excipiendam advocatus, certiorem priùs se faciat de consensu Pastoris.

XIV.

Diligenter monendi sunt Christi fideles, ut post mortalis peccati reatum, quàm primùm conterantur et confiteantur; ne, per temerariam remedii necessarii dilationem, animæ suæ periculum faciant; et generatim adhortandi ut ad pœnitentiæ Sacramentum, tanquam ad tutissimam salutis anchoram, quàm sæpissimè confugiant.

XV.

Satagant igitur Pastores, ut fidelibus facillimus fiat ad frequentationem Sacramenti Pœnitentiæ aditus, et in sacro tribunali se præbeant assiduos, præsertim horis matutinis Festorum et Dominicarum et in eorumdem dierum pervigiliis. Parochianos suos admoneant, se tunc temporis semper præsto futuros, nec expectaturos, donec à pœnitentibus, qui timidi plerumque sunt, advocentur aut rogentur. Quantùm ad parochiæ ædificationem et parochianorum salutem conduceret, si singulis diebus Dominicis et Festis nonnulli contriti et confesti ad sacram synaxin piè accederent!

XVI.

Moneantur speciatim mulieres prægnantes, periculum vitæ in partu subituræ, ut animæ suæ consulant; necnon et illi, qui in quocumque vitæ dis-

crimine versantur, vel prævident se brevi in eo constitutum iri.

XVII.

Medicos hortamur et in Domino obsecramus ut seriò considerent et adimpleant sibi sacris canonibus et quidem lege naturali impositam obligationem monendi ægrotos, aut eos quorum interest, de periculo morbi, ut tempore opportuno saluti suæ provideant.

XVIII.

Confessiones fidelium fiant semper in Ecclesiâ, in loco omnibus patenti, in confessarii sede, quantùm fieri poterit, debitè cancellatâ; non noctu, nisi pro necessitate et concursu pœnitentium, atque accensâ *lucernâ.*

XIX.

Operæ pretium erit, in sacro tribunali antè oculos pœnitentium affigere imaginem Christi crucifixi, cum brevibus sententiis ad eliciendos pœnitentiæ actus idoneis.

XX.

Prohibemus ne audiantur in domibus privatis confessiones mulierum, nisi ægrotautium aut infirmarum, et cum omni, quam prudentia exigit, cautione. Surdæ possunt audiri in sacristiâ, ostio aperto.

XXI.

Confessarii implorent flexis genibus et humili prece

divinum auxilium, quo maximè indigent, ad ministerium tam difficile simulque tam salutare adimplendum; dicant cum Scriptore sacro: Domine misericordiæ, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam; mitte illam de cœlis sanctis tuis, ut mecum sit et mecum laboret. (1) Superpelliceo induti, capite operto, vultu modestè occulto, præsertim cùm mulieres audiuntur, sedeant in sacro tribunali, et officio perfuncti, iterùm genuflexi, Deum orent ut sancti ministerii fructum suâ benedictione promoveat, et defectus, si quos ipsi vel pœnitentes in decursu confessionum ex humanâ infirmitate admiserunt, suâ benignus misericordiâ tegere et supplere dignetur.

XXII.

Qui confitentur, nisi sint infirmi aut aliàs impediti, confessario non assideant, quâcumque fulgeant dignitate; sed animo contrito, non quasi hominis, sed Dei sententiam super peccatis suis audituri, humiliter genua flectant; confessarii verò nec vultûs austeritate nec verborum asperitate pœnitentes deterreant; sed illos magnâ mansuetudine et benevolentiâ ad liberam et sinceram peccatorum declarationem invitent. Nullum peccatorem rejiciant, memores se esse ministros misericordiæ Dei, qui non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti (2).

---

(1) Sap. 9. 4. (2) 2 Petr. 3. 9.

XXIII.

Ne sinant confessarii, ut, dùm unius confessionem audiunt, alii etiam confiteri cupientes, nimis appropinquent; ne confitens, ab aliis audiri metuens, peccata reticeat, et ipse confessarius minùs liberè loquatur. Caveant etiam ne, in audiendis confessionibus, ea in medium proferant, quæ ad confessionis materiam non pertinent, neve ab ipsis pœnitentibus confessioni extranea adduci permittant.

XXIV.

Attendant se triplex erga pœnitentes officium implere, 1° rectoris, qui eos ab erroris et iniquitatis viâ ad viam salutis reducat et in eâ dirigat; 2° medici, *qui naturam morborum*, vim remediorum et modum illa applicandi noverit, qui opportunè oleum et vinum vulneribus sauciati infundat; 3° judicis, qui non tantùm in scientiâ legum sit apprimè versatus, sed virtute valeat irrumpere iniquitates (1). Undè regimen animarum sancti Patres verè et rectè artem artium appellaverunt.

XXV.

Meminerint confessarii se in sacro tribunali Pœnitentiæ pro Christo legatione fungi (2); consequenter potestatem clavium non ad arbitrium Sacerdotis, sed ad sensum et voluntatem Christi, juxtà sanctum

---

(1) Eccli. 7. 6. (2) 2 Cor. 5. 20.

ejus Evangelium et sanctæ Ecclesiæ leges moderandam esse, et quodcumque contrà has divinas regulas super terram solveretur, in cœlis solutum non iri. Sibi dicta reputent hæc S. Scripturæ verba: Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit (1).

X X V I.

Doctos et maximè probatos Ecclesiæ catholicæ magistros consulant et sequantur. Mediam ineant viam inter nimiam severitatem, quæ infirmas et imbecilles animas perturbaret atque dejiceret, et laxiorem indulgentiam, quæ ignavos peccatores in peccatis suis torpere sineret et confirmaret.

X X V I I.

Prudenter quidem, sed fortiter sine ullâ acceptione personarum, denegent aut differant absolutionem iis qui non sunt ritè dispositi, quidquid allegent de urgente paschali communione, de jubilæo lucrando, de matrimonio contrahendo, aut de aliàs orituro indè scandalo. Qui indignos temerè absolvunt, sunt dispensatores infideles, magìs utique condemnandi quàm qui temerè absolvi postulant. Eos Dominus per Ezechielem prophetam sic arguit: Erit manus

(1) 2 Par. 19. 6.

mea super prophetas, qui deceperunt populum meum, dicentes: Pax, pax, et non est pax (1).

XXVIII.

Caveant imprimis, ne ad beneficium absolutionis eos admittant, 1° qui fidei rudimenta præcipuaque sui statûs munia ignorant. 2° Qui illatum proximo, sive in bonis sive in famâ, detrimentum negligunt reparare, quantùm possunt. 3° Qui mortaliter peccandi occasionem proximam et liberam deserere nolunt. 4° Qui in habitu lethalis peccati versantur, artes illicitas exercent, aut scandalo à se dato renuunt mederi, quantùm in ipsis est. 5° Qui odium et inimicitiam contrà proximum deponere et illi reconciliari recusant. Has quinque regulas tam *simplicitate suâ quàm* veritate præclaras ita teneant, iis ita firmiter adhæreant ut ab iis nunquam divellantur.

XXIX.

Generatim illorum præcipuè peccatorum, qui peccati habitu vel occasione proximâ irretiti sunt, etiam firmissimis promissionibus non facilè credant; sed exigant opera: à fructibus eorum cognoscant eos (2) et judicent.

XXX.

Christianus populus sedulò doceatur præcipuam

---

(1) Cap. 13. 10. (2) Matth. 7. 16.

Sacramenti Pœnitentiæ partem, quam nihil unquam supplere potest, esse contritionem seu dolorem de peccatis, non quæ in solis externis indiciis, gemitibus et lacrymis consistat, sed quæ ex intimo corde proficiscatur; omnia peccata, nullo excepto, complectatur; non ex humanis, sed supernaturalibus motivis concipiatur; Dei offensam magis detestetur, quàm aliud quodcumque malum; uno verbo, pœnitentem ita efficaciter moveat, ut exspolians se veterem hominem cum actibus suis, in novitate vitæ ambulet (1).

X X X I.

Doceatur etiam populus, quàm necessaria sit integra peccatorum confessio, quoad numerum, speciem et circumstantias aggravantes, præmisso maturo examine; et quantùm seipsos decipiant, qui aliqua peccata celant, cùm indè pejus habeant, quàm si neutiquam confiterentur; quippe qui peccata sacrilegio cumulant.

X X X I I.

Confessarii, in audiendis gravioribus pœnitentium peccatis, non improbantes aut stupentes appareant; multò minùs eos præposterâ correptione turbent eisque vocem præcludant; sed attenti usque ad finem confessionis sileant, nisi alicujus peccati declaratio ma-

---

(1) Col. 3. 9.

jorem explicationem, aut reparationem faciendam exigat. In hoc casu statim dicant quod dicendum est, ne fortè posteà è memoriâ excidat.

XXXIII.

Quantuscumque sit pœnitentium concursus, quantacumque festi solemnitas, nullus unquàm, truncatâ et non integrâ confessione, absolvatur.

XXXIV.

Abusus est minimè tolerandus in iis pœnitentibus, qui examen conscientiæ ita negligunt, ut nihil confiteantur, nec confitendum esse confidant nisi id de quo interrogantur. Rectè nihilominùs et pro officio suo facient confessarii, si pœnitentem, quem *examini conscientiæ* vacasse vident, prudentibus interrogationibus adjuvent; ubi aliquâ in parte confessionem ejus deficere animadvertunt. Imprimis interrogandi sunt rudiores, qui præsumuntur præcipua fidei Mysteria ignorare.

XXXV.

Abstineant omninò confessarii ab omni interrogatione et quasi inquisitione, per quam personarum, cum quibus peccata commissa sunt, notitiam habere possint.

XXXVI.

Maximâ illis sagacitate et cautione opus est, ubi de impudicitiâ agitur, præcipuè erga juniores personas feminei sexûs, ut linguam solvant, quam ligat

pudor. Eas sensim adducant ad sufficientem peccatorum, in quæ lapsæ sunt, expositionem, incipientes à pravis cogitationibus, prosequentes à desideriis ad exteriora opera; ita tamen ut eas peccata non doceant, quæ fortè ignorant, aut eas scandalizent et minùs castæ curiositati indulgere videantur.

XXXVII.

Si qui confessarii, (quod prohibeat Deus) non recordantes judiciorum justorum, ita everterent sensum suum (1), ut pœnitentes ad malum sollicitarent; tanto scandalo mederi et animarum fragilium perniciem impedire cupientes, præcipimus ut obligentur pœnitentes ad tales scelestos nobis denuntiandos Hîc, si unquam, prudentiâ duce, incedendum.

XXXVIII.

Generalis confessio totius vitæ utilis est, et consuli debet pueris, qui ad primam communionem disponuntur; personis qui ad eligendum vitæ statum se accingunt, et in aliquibus aliis præcipuis vitæ casibus. Iis autem, quibus gravi de causâ timendum est, ne irritas et nullas confessiones fecerint, seu defectu integræ confessionis, seu veræ contritionis, ob frequentem in eadem peccata relapsum, iis generalis confessio est necessaria. Qui

---

(1) Dan. 13. 9.

verò, post primam generalem confessionem, christianè ac piè vixerunt, et nihilominùs scrupulis et conscientiæ anxietatibus torquentur, iis generaliter magis noxia foret quàm salutaris, et nedùm consulenda, nequidem permittenda est.

X X X I X.

Cùm, juxtà catholicam doctrinam (1), post culpam in Sacramento Pœnitentiæ dimissam, restet aliqua pœna solvenda, et necesse sit ut peccator Deo, sicut et proximo, pro peccatis et offensis satisfaciat, illi in sacro tribunali pœnitentia est imponenda. Omnia verò piæ expiationis opera ad orationem, jejunium et elemosynam referuntur.

X L.

Juxtà S. Concilii Tridentini doctrinam, ad plenam et integram peccatorum remissionem per Sacramentum Pœnitentiæ consequendam, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus (2). Seriò igitur considerent confessarii, et diligenter observent traditam ab eodem S. Concilio regulam: nempè, quantùm spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungant; ne, si fortè peccatis conniveant et indulgentiùs cum pœnitentibus

---

(1) Trid. sess. 14. c. 8. (2) Sess. 14. c. 2.

agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis ut satisfactio, quam imponunt, congrua sit ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, simulque ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem (1).

X L I.

Quàm longè ergo aberrant! quantam sibi et suis pœnitentibus iram thesaurisant in die iræ (2) illi duces cæci et duces cæcorum (3), illi ignavi confessarii, qui omnibus indiscriminatim peccatoribus nihil aliud pœnitentiæ sciunt vel audent imponere, quàm aliquot preces, litanias, psalmos, rosaria recitanda; cùm omne vitium assiduis virtutis contrariæ actibus sit corrigendum, quælibet cupiditas fræno sibi proprio coercenda, singulaque peccata proportionatis expiationibus delenda!

XLII.

Itaque ad majorem cautionem certioremque Sacramenti integritatem, cùm valdè timendum sit, ne non sufficiat satisfactio sacramentalis, quam confessarii, etiam fideles sanctarum regularum observatores, imponunt; adhortandi sunt pœnitentes, ut sponte suâ quædam superaddant pœnitentiæ

---

(1) Sess. 14. c. 8.

(2) Rom. 2. 5.

(3) Matt. 15. 14.

opera, quibus in carne suâ adimpleant, quoad possunt, ea quæ desunt passionum Christi (1).

XLIII.

Abstineant se confessarii à familiaritate fæminarum, suarum pœnitentium, et caveant ne aliquæ licet piæ, ipsis humano quodam, nec moderato satis affectu, sæpè sæpiùs utrique periculoso, fortè inhæreant.

XLIV.

Eos, qui confessarios sæpè mutant, graviter redarguant, facilè non admittant; sed potiùs ad priorem confessarium remittant. Pœnitentem verò, ab alio confessario non absolutum, nec ipsi absolvant, nisi maturum examen intercedat, et legitimæ faveant causæ, cur pœnitens ad priorem confessarium non remittatur.

XLV.

Jam olim in hâc diœcesi prohibitum est, et nos similiter prohibemus, ne confessarii, quovis quæsito prætextu, plures pueros septennes in confessione simul audiant; sed seorsim singulos. Præcaveant etiam ne pueri septennio majores sine confessione decedant; moneant eos quorum interest, se esse in hoc casu advocandos.

XLVI.

In articulo et quidem in gravi periculo mortis,

(1) Col. 1. 24.

cùm res moram non patiatur, nec detur probationi locus; nulli neganda est absolutio, nisi peccatoribus obduratis et impenitentibus. Tunc, ait Sanctus Augustinus, Sacramenta damus, securitatem non damus.

XLVII.

Iis, quibus vis morbi vocem et usum sensuum ademit, beneficium absolutionis impertiendum est; si eam priùs postulaverint, vel christiana eorum vita seu Religionis catholicæ professio, vel aliqua ejusdem indicia eorum desiderium testentur aut innuant.

XLVIII.

Quibus, ob instantem mortem, differri non potuit absolutio, alioquin non concedenda, eos teneri moneat confessarius, ut, si convaluerint, eodem modo se gerant, ac si absoluti non fuissent, confessariumque futurum de omnibus præteriti morbi et absolutionis circumstantiis commonefaciant, ut quod fortè defuit, ejus consilio et ministerio reparetur et ad meliorem frugem revertantur.

XLIX.

Meminerint confessarii sigillum confessionis esse omnium arcanorum sanctissimum; illud se extendere non solùm ad peccata, sed ad consilia, colloquia, imò omnia, quæ quovis modo confessionem spectant; illud violari non licere etiam post mortem pœnitentis, nequidem in ejus gratiam et lau-

dem, nec ad ejus vitam servandam, neque pariter in gratiam confessarii, nec propter quodcumque, privatum vel publicum, Ecclesiæ vel Regni bonum.

L.

Quando pœnitens non absolvitur, non est derepentè dimittendus; sed ei danda benedictio, ne circumstantibus incidat denegatæ absolutionis suspicio.

L I.

Non licet confessariis extrà sacrum tribunal pœnitentem alloqui de iis, quæ in confessione tractata sunt, nisi ob gravem causam, petitâ à pœnitente et non ægrè, sed sponte concessâ licentiâ. Caveant quoque ne, peritiores viros consulendo pro solutione alicujus conscientiæ casûs confessionem spectantis, eis pœnitentem et ejus peccata manifestent.

L I I.

Si requirat pænitens exceptæ suæ confessionis testimonium, solummodò declarandum est talem personam ad sacrum Pœnitentiæ tribunal accessisse, semperque servandum altum de absolutione concessâ vel non concessâ silentium.

L I I I.

Confessariis non licet, ne secretò quidem, uti cognitione per confessionem acquisitâ, ad regimen rei privatæ vel rei publicæ, sive spiritalis seu temporalis.

L I V.

Moneantur fideles, non solos confessarios secreto confessionis teneri; sed omnes omninò, qui alicujus peccata ex solâ confessione, sive scriptâ sive auditâ immediatè vel mediatè tantùm, quomodocumque noverint, eosque sacrilegii reos fore, qui hoc sacrum sigillum violarent; ab ipsis pœnitentibus non sine rationabili causâ ea esse propalanda, quæ confessarius in tribunali dixerit, nunquam cum malignâ intentione illum sugillandi, vel de eo quærendi immeritò.

L V.

Confessarii nihil à pœnitentibus pro auditâ confessione recipiant, nedum unquam verbo vel signo petant. Ubi pro pœnitentiâ injunxerint eleemosynas, Missas aud aliud simile, vel ubi agetur de restitutione bonorum dominis incertis debitorum, aut de commutatione votorum; cum multâ prudentiâ, præsertim sine ullâ proprii commodi quæsiti specie vel suspicione, recta dent consilia, pia applicent dona; optima commendent religionis et charitatis instituta, quæ Ecclesiæ ac Regni decus sunt et adjumentum.

L V I.

His de Sacramento Pœnitentiæ expositis, nobis persuasum est, et confessarios, Pastores præsertim hortamur, ut sibi persuadeant, suum ministerium in sacro tribunali esse tanti momenti, ut nusquam alibi meliùs seminare, nec aliundè fructus percipere

possint

possint uberiores aut certiores. Nam ibi pœnitentes salutari pudore suffusi, sua pectora percutiunt, sua peccata detestantur, fideleque consilium, salutiferas exhortationes, monitiones pias, et quidem benevolas objurgationes, quas à Pastoribus suis aut confessariis sigillatim accipiunt, imis præcordiis recondunt, et gratiæ sacramentalis auxilio et efficaciâ freti, eunt de virtute in virtutem (1) et immaculati ambulant in lege Domini (2).

CAPUT II.

DE CASIBUS RESERVATIS.

ARTICULUS I.

Magnoperè, inquit S. Concilium Tridentinum, (3) ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. Undè Pontifices maximi, pro supremâ suâ potestate in universâ Ecclesiâ, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quin hoc idem Episcopis omnibus in suâ cuique diœcesi liceat. Consonum est autem divinæ auctoritati, hanc delictorum reservationem, non tantùm in externâ politiâ, sed etiam

(1) Psal. 83. 8.
(2) *Ibid.* 118. 1.
(3) Sess. 14. c. 7.

coram Deo vim habere. Undè patet nullam esse peccati reservati absolutionem, datam à sacerdote pro reservatis non approbato.

CAPUT III.

CASUS RESERVATI SUMMO PONTIFICI.

CASUS I.

Exustio procurata templorum aut domorum profanarum, si incendiarius sit publicè denuntiatus.

Nota. 1° Plures auctores docent omnem casum, summo Pontifici reservatum, pro casu episcopali habendum esse, à tempore Tridentini Concilii, donec ad forum contentiosum deducatur: porrò certum est favorem jurisdictionis nostræ prævalere in dubio circa papalem reservationem. Hinc est quòd nullos casus Papæ reservatos admittimus, nisi ad forum contentiosum deducti fuerint.

2° Non reservatur exustio, casu licet forsan peccaminoso, aut jure belli procurata.

3° Reservatur etiam exustionis jussio, cùm sit vera exustionis procuratio.

4° Incendiarius publicè denuntiatus ille est, qui nominatim judicio civili declaratus est excommunicatus, ut auctor incendii.

II.

Simonia realis in ordinibus et beneficiis, et confidentia, si sint publicæ. *Nota.* 1° Per publicum hic

intelligimus quod in judicio probatum, aut saltem ad forum contentiosum deductum est. 2° Præsens reservatio ad mediatores extenditur per Bullam *Cum detestabile*. 3° Ad simoniam realem requiritur, ex unâ parte, Ordinis collatio, aut beneficii adeptio, vel saltem jus ad illud per præsentationem; et ex alterâ parte, solutio pretii de quo conventum est, aut saltem partis illius. 4° Ad confidentiam reservatam requiritur et sufficit adeptio beneficii et conventio aut de ejus retrocessione aut de fructum cessione, aut de pensionis, absque legitimo superiorum consensu, solutione.

III.

Occisio seu mutilatio membrorum cujuscumque in sacris Ordinibus constituti.

Nota. 1° Reservatio supponit occisum aut mutilatum non fuisse degradatum, nec ignotum.

2° In præsenti casu simplex digitus pro membro sumi non potest.

IV.

Percussio Episcopi seu alterius Prælati,

Nota. 1° Simplex Pastor non potest hîc per Prælatum intelligi.

2° Prælatus percussus notus esse debet, nec degradatus.

V.

Delatio armorum ad partes infidelium.

Nota. Sola armorum delatio hîc reservatur, licet aliundè omne genus auxilii prohibeatur.

VI.

Falsificatio Bullarum seu litterarum summi Pontificis.

Nota. Ad reservationem requiritur, ut litteræ falsificatæ nomine summi Pontificis inscribantur.

CAPUT IV.

OBSERVATIONES CIRCA CASUS SUMMO PONTIFICI RESERVATOS.

1° Plures sunt alii casus reservati summo Pontifici; sed illorum reservatio in nostrâ diœcesi aut nunquam viguit, aut lapsu temporis vigere desiit. 2° Quisquis licentiam in foro externo absolvendi à casibus summo Pontifici reservatis obtinuerit, prohibemus ne illâ utatur in nostrâ diœcesi, nisi priùs illam nobis examinandam exhibuerit. 3° Omnes casus papales annexam habent censuram; cùmque propter illam solam reserventur, censurâ semel sublatâ, omnis confessarius potest ab eis absolvere, nisi sint aliundè ab Episcopo reservati.

4° Quisquis potest à casibus summo Pontifici reservatis absolvere, potest simul absolvere à censuris hisce casibus annexis.

5° Casus reservati summo Pontifici, si sint occulti, facti sunt casus episcopales per Concilium Tridentinum; *sess.* 24 *cap.* 6 *de reform.* et hîc per

occultum intelligimus quod nondùm ad forum contentiosum deductum est.

6° Ipsimet casus publici, summo Pontifici reservati, habendi sunt quasi casus episcopales, vi generalis consuetudinis, respectu pœnitentium, qui non possunt summum Pontificem adire: quales vulgò censentur pauperes, senes, infirmi, filiifamilias, mulieres et monachi.

7° Approbatus pro casibus nobis reservatis potest absolvere à casibus summo Pontifici reservatis, qui juxtà præcedentes regulas, facti sunt casus episcopales; sed in his casibus res ad nos referatur, antequàm ulteriùs procedatur.

CAPUT V.

CASUS RESERVATI DD. EPISCOPO METENSI.

Casus I.

Hæreseos professio publica, in aliquâ sectâ hæreticâ.

Nota. 1° Approbatus pro reservatis generatim, non poterit absolvere publicè ab hæresi, absque specialiori licentiâ, eos qui ad Ecclesiam redeunt.

II.

Homicidium voluntarium, etiam quoad mandantes, subsecuto tamen effectu.

Nota. Per homicidium voluntarium intelligimus homicidium in se intentum, aut saltem in suâ causâ vix unquam separabili à morte, et de facto commissum.

I I I.

Abortûs procuratio, etiam ante foetûs animationem, aut simplex adhibitio mediorum vix unquam ab eo separabilium, cum animo illius procurandi.

Nota. Reservationem incurrunt tam personæ, quæ scientes permittunt abortum sibi procurari, quàm eæ, quæ illum actione aliquâ aut passione procuraverint.

I V.

Parvulorum, qui nondùm duobus annis completis nati sunt, in lecto suffocatio etiam fortuita, respectu personarum cum ipsis decumbentium.

V.

In duello pugnare, duellum jussisse, subsecuto effectu, duelloque voluntariè (id est de industriâ) interesse, quasi comitem et faventem. Cum excommunicatione.

Nota. 1° Per duellum intelligimus certamen singulare et paucorum, cum armis et periculo vitæ initum, et de quo ante pugnam conventum fuerit. 2° Ad reservationem nec mors, nec etiam vulnus pugnantium requiruntur.

V I.

Percussio gravis Clerici in sacris Ordinibus constituti, vel personæ religiosæ professæ. Cum excommunicatione.

Nota. 1° Percussio non est reservata, si percu-

tiens qualitatem personæ percussæ percutiendo ignoraverit.

Nota. 2° Reservatio locum non haberet, si Clericus percussus degradatus fuisset.

V I I.

Percussio gravis patris vel matris, avi vel aviæ.

V I I I.

Sodomia etiam inter personas diversi sexûs, ipsiusque simplex attentatio.

Nota. Attentatio reservata supponit formalem intentionem scelus patrandi adæquatè, cum seriâ illud committendi tentativâ.

I X.

Bestialitas etiam simpliciter attentata.

Nota. Hùc pertinet casûs præcedentis annotatio.

X.

Incestus intrà primum et secundum gradum in lineâ collaterali, et intrà quemcumque gradum in lineâ rectâ consanguinitatis aut affinitatis, etiam illegitimæ; modò tamen consanguinitas aut affinitas non ignoretur.

Nota. Ad reservationem sufficere volumus, si vir et mulier per solam copulam facti fuerint una caro, licet forsan aliundè crimen non fuerit consummatum; et illud intelligi volumus de omni aliâ copulâ reservatâ.

X I.

Copula carnalis à personis religiosis professis, vel à Clerico in sacris Ordinibus constituto, et cum ipsis commissa.

Nota. Hùc pertinet annotatio ad casum præcedentem.

X I I.

Adulterium ad contensiosum forum deductum.

Nota. 1° Hùc pertinet annotatio ad casum præcedentem.

2° Non requirimus ad reservationem, ut adulterium probatum fuerit in judicio.

X I I I.

De confessario complice statuimus quod sequitur:

1° Adimitur omni confessario facultas suos complices absolvendi, etiam ipso jubilæi tempore, non solùm à culpis in materiâ luxuriæ suprà reservatis, sed etiam ab omni aliâ culpâ mortali, per tactum de se et naturâ suâ obscænum, etiam simpliciter permissum, cum ipso commissâ, ex quo sacris Ordinibus initiatus, aut religiosus professus factus est; exceptis casibus articuli et periculi mortis infrà expositis.

2° Confessarius nunquam censebitur approbatus ad supradictos complices absolvendos, quamcumque commissionem à nobis acceperit, aut quamcumque generalem à reservatis absolvendi licentiam obti-

nuerit, nisi ad id specialiter et expressè fuerit approbatus; quod nunquam nisi forsan in gravissimis casibus concedetur.

3° Monemus conveniens esse confessarium complicem, post absolutionem præfato complici ab alio confessario datam, deinceps omninò abstinere ab auditione confessionis ejus; modò tamen illud absque scandalo et gravi incommodo pœnitentis fieri possit.

CAPUT VI.

DE CASUUM RESERVATORUM ABSOLUTIONE.

ARTICULUS I.

In articulo mortis, ut jam dictum est, nullum reservatur peccatum. Hanc exemptionem cujuslibet reservationis in articulo mortis à S. Concilio Tridentino decretam, communiterque ab auctoribus restrictam ad casum in quo confessarius pro reservatis approbatus deficit, extendimus ad ipsummet casum, in quo talis confessarius adesset.

II.

Quod suprà dictum est de articulo mortis, hoc idem concedimus pro subsequentibus simplicis periculi mortis casibus. 1° Respectu mulierum quæ in septimo mense prægnationis versantur. 2° Respectu ægrotantium cum aliquo discrimine vitæ, sed nondum sacri Viatici sumptionem exigente. 3° Res-

pectu eorum qui in carcere detenti sunt. 4° Respectu militum et militiæ ducum, qui jamjam pugnaturi sunt. Hi omnes per quemlibet confessarium approbatum absolvi poterunt à casibus nobis reservatis; etiamsi præstò sit aliquis pro reservatis approbatus.

III.

Poterit etiam absolvi per omnem confessarium approbatum, deficiente alio pro reservatis approbato, sacerdos conscius peccati nobis reservati; si quod scandalum timendum est aut grave damnum patiendum, ex eo quòd à celebratione Missæ, vel ab aliquâ sui ministerii necessarii functione abstineat.

IV.

Confessarius approbatus ad absolvendum unum pœnitentem ab aliquo casu reservato, poterit eum simul absolvere ab omnibus aliis casibus reservatis, de novo in confessionis decursu detectis.

V.

Nullam esse reservationem intendimus in casu præparationis pœnitentium ad primam communionem, et ad Sacramentum Confirmationis in visitationum nostrarum decursu, nec in casu confessionis præscriptæ ante Matrimonium, nisi respectu confessarii complicis.

VI.

Reservationem pariter tollimus peccatorum et

censurarum ipsis annexarum, (suspensione exceptâ); cùm indirectè remissa fuerint per absolutionem à quocumque confessario approbato datam pœnitenti, qui ea per ignorantiam aut oblivionem inculpabiliter omiserit; eaque poterunt, cùm in memoriam redierint aut in notitiam venerint, Ecclesiæ clavibus submitti apud quemlibet confessarium approbatum.

V I I.

Pœnitens qui peccatum reservatum confessus fuerit confessario pro reservatis approbato, sed ab eo forsan invalidam absolutionem receperit, poterit apud quemlibet alium confessarium approbatum confessionem invalidam reiterare, et ab eo absolvi.

VIII.

Cùm nemini possint aliqua peccata remitti, nisi omnia simul remittantur; confessarius, pro reservatis non approbatus, nequidem à non reservatis absolvere potest, quando aliqua reservata in confessione pœnitentis reperiuntur.

I X.

Non intendimus ullum reservare peccatum, nisi sit 1° Mortale. 2° Certum certòque reservatum. 3° Consummatum, nisi ipsammet illius attentationem reservaverimus. 4° Commissum à pubere; nec ulla reservatio ad mandantes extenditur, nisi id fuerit expressè notatum.

X.

Confessarii pœnitentibus peccati reservati horro-

rem incutiant, illius repræsentantes gravitatem, tantam quidem, ut illud remittendi facultas confessario ordinario non sit concessa, sed Superiori reservata; non tamen illos obligent ut Superiorem vel confessarium pro reservatis approbatum adeant, benè verò se officiosos præbeant ad petendam illos absolvendi licentiam; cùm cavendum est, ne fortè pudore suffusi et difficultatibus deterriti, animum despondeant, et Sacramento reconciliationis æternum vale dicant.

X I.

Pœnitens constitutus in circumstantiis in quibus potuisset à reservatis per non approbatum pro reservatis confessarium absolvi, quique apud talem confessarium confessionem incæperit, poterit posteà, etiam mutatis circumstantiis, apud eum suam confessionem incæptam perficere, et ab eo à reservatis, etiam de novo commissis, absolvi.

X I I.

Facultas etiam generalis à casibus et à censuris reservatis absolvendi non includit facultatem liberandi ab irregularitatibus, dispensandi in votis, restituendi in jus petendi debiti conjugalis, nec invalida matrimonia rehabilitandi.

CAPUT VII.

DE CENSURIS DD. EPISCOPO METENSI RESERVATIS.

Articulus I.

Ex omnibus censuris à jure reservatis, solas ut tales habendas esse in nostrâ diœcesi declaramus, quas modò enumerabimus, quæ quidem semper ipso facto incurruntur. Ab omnibus aliis quilibet confessarius approbatus validè poterit absolvere.

II.

Subsequentes nobis reservamus excommunicationes. 1° Eas quæ sunt annexæ casibus nobis reservatis, suprà memoratis. 2° Omnem excommunicationem, ab homine latam per decretum particulare.

III.

Suspensionem nobis reservatam incurrunt 1° Qui scienter et in contemptum legis ad matrimonium admiserint sponsos alterius parochiæ. 2° Qui propriis parochianis clam et non in facie Ecclesiæ benedictionem nuptialem dederint, nisi ad rehabilitandum matrimonium. 3° Qui in contemptum nostri præsentis mandati, à casibus nobis reservatis absolverint absque speciali ad hoc approbatione, et quicumque non approbati ullum pœnitentem absolverint, vel scientes et volentes approbationis suæ limites excesserint. 4° Qui in oratoriis domesticis,

in capellis castrensibus vel ruralibus ab Episcopo non approbatis, Missam celebrant. 5° Nobis etiam reservamus omnem suspensionem ab homine latam per decretum particulare.

Sedulò animadvertantur casus, in quibus hæc Statuta synodalia pœnam suspensionis decernendam comminantur.

I V.

Si quæ sunt interdicta personalia in nostrâ diœcesi à jure lata, nulla ex his nobis reservare intendimus; benè verò, quæ in posterum lata forent ab homine per decretum particulare.

V.

In articulo mortis nulla reservatur censura, præter suspensionem, cujus absolutio non est ad salutem necessaria; poteritque ab omni aliâ reservatâ censurâ absolvi moribundus per quemlibet confessarium, si defuerit confessarius pro reservatis censuris approbatus: si verò æger convaluerit et absolutus fuerit à censurâ ab homine latâ per decretum particulare, tenebitur quàm primùm adire Superiorem, sub pœnâ reincidentiæ in illam censuram.

V I.

Quod hîc supràdictum est de articulo mortis, hoc idem concedimus in quatuor casibus simplicis periculi mortis memoratis articulo II, de casuum reservatorum absolutione.

V I I.

Poterit quasi provisoriè per omnem confessarium

approbatum absolvi ab omni censurâ reservatâ, à jure aut etiám ab homine latâ per generale mandatum, ne quidem exceptâ suspensione; necnon et ab omni irregularitate, summo Pontifici non reservatâ, liberari ad effectum celebrationis Missæ et cœterarum sacri ministerii functionum, Sacerdos qui non posset recurrere ad approbatum pro censuris reservatis, vel ad nos propter irregularitatem, nec à prædictis functionibus abstinere absque scandalo aut gravi incommodo: eâ tamen conditione et quidem sub pœnâ reincidentiæ, ut quàm primùm et non ultrà mensem, nisi legitimè impeditus fuerit, per confessarium pro reservatis censuris approbatum iterùm absolvatur, et nos adeat ad confirmandam irregularitatis dispensationem.

VIII.

Confessarius, pro casibus reservatis approbatus, poterit in foro pœnitentiæ absolvere ab omni reservatâ censurâ casibus annexâ, à jure latâ aut etiam ab homine per generale mandatum, nequidem exceptâ suspensione.

IX.

Confessarius, pro censuris nobis reservatis approbatus, non poterit, absque speciali commissione, ab hæresi absolvere publicè, nec in foro pœnitentiæ, à censuris ab homine latis per decretum particulare, nisi in articulo mortis, et in casibus periculi mortis, de quibus suprà.

X.

Volumus absolutionem censuræ reservatæ, datam à confessario pro reservatis censuris approbato, haberi pro validâ, licet forsan nulla et invalida sit absolutio peccatorum, quæ illam subsecuta fuerit.

X I.

Nullas intendimus reservare censuras in quas impuberes incidissent, si tamen ullius censuræ sunt capaces; et per omnem approbatum confessarium poterunt, etiam pubertate adeptâ, ab eis absolvi.

X I I.

Sciant omnes Sacerdotes et attendant, eum qui suspensionis sententiam quâ ligatus est infringit, et aliquam Ordinis sacri vel officii, à quo suspensus est, functionem exercet, eo ipso irregularitatem incurrere.

CAPUT VIII.

DE INDULGENTIIS.

Articulus I.

Sancta Synodus Tridentina docet potestatem conferendi indulgentias, à Christo Domino Ecclesiæ concessam, earumque usum christiano populo maximè salutarem esse; in his tamen concedendis moderationem adhibendam, ac earum abusus emendandos et corrigendos esse, ne nimiâ facilitate disciplina ecclesiastica enervetur, et ne hoc insigne indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphemetur. (1)

(1) Sess. 25.

I I.

Quapropter prohibemus, ne quis ullas indulgentias populo commendet et promerendas offerat, nisi à nobis visitatæ, probatæ et publicatæ fuerint.

I I I.

Doceantur fideles indulgentias dispensari de thesauro Ecclesiæ, id est, primariò ex superabundantibus Christi Domini meritis, quibus accedunt satisfactiones et intercessiones Sanctorum; eas relaxare pœnam peccato debitam, in hâc aut in alterâ vitâ luendam; quoniam verò pœna remitti non potest, nisi ipsa culpa dimissa sit, eas non prodesse nisi iis, qui sunt verè et sincerè contriti et cum Deo reconciliati.

I V.

Indulgentiæ peccatorem certè non eximunt à satisfactione; benè verò eum, facientem quod in se est, adjuvant in satisfactione adimplendâ. Præ humanâ enim infirmitate, par non est solvendo id omne quod divinæ justitiæ debet, qualecumque tandem sit ejus propositum satisfaciendi. Pia mater Ecclesia ei largitur indulgentiæ beneficium, in impotentiæ subsidium et satisfactionis supplementum.

V.

Quàm graviter igitur errant et seipsos illi decipiunt, qui sub prætextu indulgentiarum, quas se lucrari arbitrantur, non satagunt facere dignos fructus pœnitentiæ; (1) quasi verò sancta Dei Ecclesia in-

(1) Matt. 3. 8.

tendat impœnitentium inertiam per sua dona fovere, et ab ipso Christo legem de agendâ pœnitentiâ omnibus præscriptam infringere; cùm econtrà indulgentiarum gratia non impertiatur nisi pœnitentiæ operibus, jejuniis, eleemosynis, orationibus et aliis piis exercitiis, non solùm ad præterita peccata expianda, sed ad futura præcavenda necessariis.

VI.

Moneantur fideles majorem percipi indulgentiarum fructum, pro majori pœnitentium devotione et fervore; ut indè excitentur quàm maximo poterunt studio, dùm tempus adhuc habent, satisfactoriis operibus divinam placare justitiam et fugere à venturâ irâ. (1)

VII.

Moneantur etiam, per indulgentias, quæ pro animabus in purgatorio detentis specialiter conceduntur, se posse iis suffragari, ac per merita Christi et Sanctorum ipsis applicata, eorum pœnas mitigare et abbreviare.

VIII.

Præmuniantur contrà certos abusus, certas orationes, imagines, sacra amuleta, quæ cum annexis, ut aiunt, indulgentiis, fidelibus distribuuntur. Ut plurimùm, ex certâ quam requirunt orationum formulâ aliisque circumstantiis, videntur superstitionis labe non eximi.

---

(1) Matt. 3. 7.

TITULUS IX.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Articulus I.

Hoc Sacramentum à Christo Domino, cui soli competit gratiam dare et signis sacris annectere, institutum commendavit et promulgavit S. Jacobus Apostolus, frater Domini, ac omnia, quæ ad idem Sacramentum pertinent, in suâ epistolâ descripsit. Hæc Pastores suis parochianis diligenter exponant.

II.

Sacris Oleis unctionum in singulis eorum locellis gossopium substernatur, non verò cannabis, stuppa aut aliud quidpiam. Cùm timetur, ne frequenti usu exhauriantur, in vascula S. unctionum identidem instilletur una aut altera gutta olei olivarum, non autem alterius cujuscumque olei aut liquoris.

III.

Adhortandi sunt fideles, ut, cùm aliquis è suis gravi morbo decumbit, illicò Pastorem advocent, et ipsi Pastores, si quem ægrotare audierint, præsertim si negligentiam et modicam fidem domes-

ticorum aut propinquorum suspicentur, adeant ædes infirmi, etiamsi non sint vocati; simplici sermone annuntient se, pro boni Pastoris officio, ovem suam invisere; per frequentes et religiosas exhortationes atque consolationes fiduciam sibi concilient, et ægrotum adducant ad curam salutis suæ gerendam, recipiendaque Sacramenta. Eorum sermo sit diversitati personarum, ingeniorum et dispositionum accommodatus; semper verò prudentiæ sale conditus et oleo charitatis inunctus.

I V.

Persuasum sibi habeant Pastores, se hujusmodi charitatis officia adimplentes, non solùm apud Deum mereri, sed etiam apud homines, et sibi quàm maximè omnium animos devincire, sicut scriptum est: Non te pigeat visitare infirmum; ex hoc enim in dilectione firmaberis (1).

V.

Nullo modo vel dirigendo aut suadendo, se immisceant in temporalibus ægrotorum negotiis, nisi hæc necessariam relationem habeant ad conscientiam; meminerint suum ministerium non aliud esse quàm ministerium religionis et pietatis, justitiæ et charitatis, conciliationis et pacis.

V I.

Omnis Sacerdos potest validè Sacramentum ex-

---

(1) Eccli. 7. 38.

tremæ Unctionis administrare; sed non licitè, sine consensu Pastoris; et iste tenetur illud suis parochianis conferre, etiam morbo contagioso infectis; adhibitâ, quanta potest, prudenti cautione contra periculum.

VII.

Dùm sacrum Oleum publicè ad infirmos defertur, æedituus, superpelliceo indutus, laternam accensam præferat, non verò campanulam sonantem.

VIII.

Admonendi sunt fideles Sacramentum extremæ Unctionis non posse, ut docet S. Concilium Tridentinum (1), sine ingenti scelere et Sancti Spiritûs injuriâ contemni; eos qui illud negligunt, privare se gratiâ corroborante, quâ maximè indigent contrà morbi languores, mortis angustias, et versutiores insidias vehementioresque impetus diaboli, præsertim in exitu vitæ circumeuntis et quærentis quem devoret (1).

IX.

Adhortandi sunt ægroti, ut, dùm sensus adhuc vigent et ratio integra est, hoc Sacramento muniantur; tantò enim uberiores gratias recipient, quantò sanctiores dispositiones afferent. Maturè disponant res suas temporales, quo sic pacatiori animo spiritualibus provideant, et à curis vitæ liberi, ad cœlestis beatitudinis cogitationem desideriumque erigantur.

---

(1) Sess. 14. c. 3. (2) 1 Petr. 5. 8.

X.

Applicentur in articulo mortis indulgentiæ plenariæ, quas concessit summus Pontifex, Benedictus XIV. Eas applicandi facultatem impertimur omnibus Sacerdotibus approbatis; formula habetur in minori Rituali Metensi.

X I.

Redarguendus est error nimis multorum periculosissimus, qui arbitrantur, non nisi desperatâ vitâ et in ultimo agone, administrandam esse hanc Unctionem, quæ non ideò extrema dicitur, quòd in extremis tantùm conferenda sit; sed quòd omnium unctionum, quas fideles sive in baptismo, confirmatione aut ordine percipiunt, extrema seu ultima sit.

XII.

Non minùs illi redarguendi sunt, qui hanc Unctionem reformidant, quasi mortem sit acceleratura; cùm econtrà, præter suos primarios animæ salutares effectus, hanc etiam secundariam habeat virtutem, ut corporis sanitatem restituat, si Deus ægroto expedire judicaverit; virtutem quidem eò efficaciorem, quò minùs differtur divinum hoc remedium, et quò majores adhuc corpori sanando vires supersunt.

XIII.

Corrigendus est etiam error aliquorum, qui sibi

stultè persuadent, se, postquàm sacro Oleo inuncti fuerint, jam non posse testamentum condere et quædam rei domesticæ negotia curare.

X I V.

Observetur, quantùm poterit, consuetudo laudabilis, quæ in hâc Diœcesi invaluit, ut extrema Unctio ante sanctum Viaticum administretur; sic enim ægrotus, non tantùm per sacram Unctionem, quæ à S. Patribus complementum et consummativum Pœnitentiæ appellatur, abstersis peccatorum reliquiis, meliùs et digniùs disponitur, ut corpore Domini reficiatur; sed etiam faciliùs et certiùs ad eam recipiendam adducitur, quàm si ea ad ultimum usque vitæ periodum, quasi mortis certæ nuntius et præludium, differatur, ac fortè, inopinâ morte præveniente, infeliciter omittatur.

X V.

Sancto Oleo infirmorum inungendi sunt, non illi tantùm, qui gravi et periculoso morbo laborant; sed ii etiam, qui præ senio deficiunt et in dies videntur morituri, etiamsi non aliâ infirmitate premantur; pueri jam rationis compotes; non illi verò, qui usum rationis nondùm habent, nec amentes, ætate provecti, qui ab ortu suo semper ratione caruerunt. Ungendi sunt vulgò phrænetici, et alii hujusmodi, si nulla Sacramento irreverentia timenda sit; necnon et illi qui omnium sensuum usum ami-

serunt, si religionem catholicam profitebantur. Extremæ Unctioni præeat absolutio sacramentalis.

XVI.

Extrema Unctio in unâ et eâdem infirmitate non iteratur; benè verò, si infirmi convaluerint, poterunt iterùm hujus Sacramenti subsidio juvari, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint.

XVII.

Non satis habeant Pastores, ægrotis Sacramenta contulisse; sed sæpè eos visitent, maximam illis charitatem exhibentes, et severitatem evangelicam summâ mansuetudine temperantes. Eos adhortentur ut divinam voluntatem, quidquid decreverit, humiliter adorent, atque illi in omni fiduciâ se submittant: mortem esse pœnam peccati, et pœnitenti animo esse expectandam atque perferendam, imò Christi fidelibus magis desiderandam quàm timendam; cùm per eam vita non tollatur, sed in meliùs mutetur, et dissoluto mortali corpore, ex hâc lacrymarum valle in cœlestem patriam æternamque beatitudinem transferantur.

XVIII.

Pastores attendant moribundos in ultimâ luctâ non esse deserendos; eosque, ut rectè audiant, non altâ, sed submissâ voce alloquendos; nec prolixiore et continuo fatigandos sermone, sed per brevia et intermissa verba, eorum animis pios affectus et cœ-

lestia desideria leniter instillanda. Si ipsi, cùm pastoralis sollicitudinis multiplicibus curis impediti, omnibusque debitores sint (1), præsto esse non possunt; pias personas advocari curent, quæ eos in extremis angustiis confortent et erigant, animasque, è corpore mortis hujus exeuntes, precibus consuetis et ab Ecclesiâ approbatis Deo commendent.

XIX.

Opus Pastoribus dignum est, absoluto erga defunctum sancto ministerio, ejus familiæ christiana solatia impertiri, prout feret ratio personarum et circumstantiarum.

TITULUS X.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT I.

DE SACERDOTII EXCELLENTIA.

ARTICULUS I.

Sacra Ordinatio constituit legis evangelicæ Sacerdotium, cujus caput est Christus, Sacerdos in æternum. (2) In varios autem gradus et ordines divinâ dispositione distinguitur; undè exurgit Ecclesiæ Hyer-

(1) Rom. 1. 14. (2) Psal. 109. 5.

archia, ut castrorum acies ordinata. (1) Quàm veneranda Sacerdotii dignitas! inquit sanctus Augustinus. O felices Sacerdotes, si sacerdotaliter vixerint! quàm magna eorum potestas, quam Deus neque Angelis neque Archangelis concessam esse voluit! quàm insigne nomen! quàm Deo gloriosum et hominibus salutare ministerium!

II.

Quapropter maximâ curâ enitendum est, ut suum Sacerdotio decus, sua auctoritas servetur, et disciplina ecclesiastica temporum iniquitate collapsa restauretur. Cùm verò tantæ molis operi et tam multiplici curarum ac negotiorum varietati unus non sufficiat, hunc defectum debet Episcopus supplere, onera partiri, cooperatores deligere, quorum auxilio adjutus, sub totius oneris gravitate non deficiat aut titubet; ubi plura urgent, nihil omittat; sed omnia omnibus debita reddere et omnem justitiam implere valeat. (2) Ut igitur sanctum ministerium, favente Deo optimo maximo, in diœcesi nostrâ fausto successu promoveatur, regimen diœcesanum ordinandum esse duximus, ut sequitur.

CAPUT II.

DE REGIMINE DIŒCESANO.

ARTICULUS. I.

Vicarii nostri generales communem nobiscum jurisdictionem habent in universam Diœcesin, et quidquid ab illis fiet, à nobis factum esse censeatur.

---

(1) Cant. 6. 3. (2) Matt. 3. 15.

I I.

Præter Vicarios generales, instituimus unum Officialem, qui cognoscet de causis et delictis ad disciplinam exteriorem, ad vitam publicam et privatam omnium cleri Ordinum pertinentibus :

Promotorem, qui, pro nominis et officii sui ratione, sanctos Canones promovebit eorumque observationi invigilabit ; de supràdictis causis et delictis inquiret ac referet ad Officialem. Istius nulla sententia executioni mandabitur, nisi priùs à nobis approbata fuerit :

Pœnitentiarium, cui competit facultas in Ecclesiâ cathedrali potissimùm et in universâ diœcesi confessiones audiendi, pœnitentias imponendi et peccatores reconciliandi. Illi committentur causæ, quæ spectant forum internum et casus conscientiæ :

Theologum , qui sanæ doctrinæ invigilabit ; Seminaria visitabit, lectiones, collationes, conciones, et omnia exercitia, quæ in illis habentur, examinabit, suas observationes Superioribus communicabit, ac si expedierit, etiam nobis. Ex officio verbum Dei prædicabit.

I I I.

Instituimus quatuor Archidiaconos, quorum primus erit Archidiaconus Urbis episcopalis. Ejus jurisdictioni subjacebunt parochiæ Urbis et districtûs (*arrondissement*) Metensis, et Ecclesiæ succursales ab istis dependentes.

Secundus, Archidiaconus districtûs Theonisvillani.

Ejus jurisdictioni subjacebunt parochiæ ejusdem districtûs et Ecclesiæ succursales ab istis dependentes.

Tertius, Archidiaconus districtûs Briensis. Ejus jurisdictioni subjacebunt parochiæ ejusdem districtûs et Ecclesiæ succursales ab istis dependentes.

Quartus, Archidiaconus districtûs Saragueminensis. Ejus jurisdictioni subjacebunt omnes parochiæ ejusdem districtûs et Ecclesiæ succursales ab istis dependentes.

IV.

Primus Archidiaconus Episcopo Ordinandos præsentat, et ei cum secundo Archidiacono assistit in collatione sacrorum Ordinum.

V.

Archidiaconi libros seu registros habebunt, qui omnia Archidiaconatum spectantia, secundùm diversitatem rerum distincta, contineant. Quascumque ejus partes visitabunt, prout opportunum et necessarium ipsis videbitur; de statu temporali et spirituali Ecclesiarum et Pastorum studiosè inquirent, monebunt eos qui monendi, corrigent ea quæ corrigenda sunt, severitatem semper mansuetudine condientes. Acta visitationis suæ in libris suis inscribent et eorum exscriptionem ad nos mittent. Specialia mandata nostra diligenter exequentur.

Singulis Archidiaconis adjungimus unum vel plures, pro Archidiaconatûs extensione et utilitate, Visitatores qui eis operam præstabunt eorumque vices supplebunt, cùm id expedire duxerimus.

V I.

Parochos tractuum (*cantons*) instituimus Archipresbiteros. Ab Archidiacono ritu sequenti installabuntur, et in possessionem novæ parochiæ immittentur. Convocato in Ecclesiâ populo, Installandus et Installator, superpelliceo et stolâ induti, cum ministris ad altare procedunt, genuflexi intonant hymnum *Veni, Creator;* quo cantato, veniunt ad cancellos. Installator litteras institutionis prælegit et pauca verba cæremoniæ convenientia facit. Deindè Installandus, comite semper Installatore et innuente quæ agenda sunt, cum ministris ad altare revertitur, genuflexus fidei catholicæ professionem et obedientiæ Episcopo debitæ juramentum emittit. Surgens et ascendens, tabernaculum aperit clauditque; progressus ad cornu Epistolæ, Missale aperit et, recitatâ Patroni oratione, claudit; ducitur ad cathedram pastoralem, in quâ sedet; ad fontes baptismales, quos aperit et incensat; ad campanam, quam pulsat; ad valvas Ecclesiæ, quas aperit et claudit; ad suggestum, ex quo populum brevi et paterno sermone alloquitur. Cantatur Missa, si ita videatur. Cæremonia benedictione SS. Sacramenti perficitur, et actus installationis in Archipresbiteralibus libris et in parochialibus registris inscribitur.

VII.

Archipresbiteris adjungimus Definitorem, qui eos consilio et operâ adjuvet, eorumque vices obeat, si res ita postulet.

VIII.

Conventibus capituli præsidebunt et primum semper locum obtinebunt, veluti Pastores Pastorum totius Archipresbiteratûs. Eos ab omnibus sibi subditis volumus honorari, iis obsequium reverentiamque præstari. Ecclesiis succursalibus invigilabunt, et quaslibet invisent, quoties id expedire judicaverint. Non ut molesti exploratores, sed ut venerandi sanctæ matris Ecclesiæ legati, amici et patres recipiantur. Si quid peccetur, prudenter et benevolè emendabunt. Graviora, quæ nolent corrigi, denuntient. Non facilè illis delationibus fidem adjungant, quas sæpè sæpiùs contrà Sacerdotes impietas confingit, malignitas aggravat, credulitas effutit; sed imputata maturo et discreto examine inquirant. Quomodò se res habeant, vix aliter quàm per eorum oculos videre possumus. Uniuscujusque scientiam, prudentiam, pietatem, zelum sedulò inspiciant. Eorum testimonium magni utique apud nos ponderis est, ut suum singulis locum assignare, ineptos amovere et digniores ad ampliora munia promovere possimus. In re tam gravi nihil humani patiantur; sine gratiâ et sine inimicitiâ, sed puro et conscientioso animo suffragium suum ferant;

unicè gloriam Dei et ædificationem Ecclesiæ intendant.

I X.

Studeant etiam benè præesse, non dominantes in Cleris (1), neque se in die honoris sui extollentes, (2) sed quò altiori gradu eminent, tantò majori humilitate et sanctiori vitâ omnibus antecellant.

X.

In libris benè ordinatis scribant omnia quæ ad suum Archipresbiteratum pertinent.

X I.

Rectores Ecclesiarum succursalium quàm primùm suæ missionis litteras Archipresbitero exhibeant. Poterit eos ritu consueto installare, quando id *illi* opportunum videbitur.

X I I.

Recto ordini, qui Dei Ecclesiam decet, admodùm favebit et faciliorem inter Episcopum, Clerum et populum communicationem faciet hæc suprà exposita sacrorum Ministrorum distinctio et in varios gradus distributio: quâ Ecclesiarum Rectores aliique Sacerdotes et Clerici Archipresbiteris, Archipresbiteri Archidiaconis, Archidiaconi Vicariis generalibus, omnes Episcopo subordinati sunt: quâ etiam Episcopus mandata sua inferioribus per præ-

(1) 1 Petr. 5. 3. (2) Eccl. 11. 1.

dictos gradus significabit, ac vicissim inferiores vota sua et postulata ad Episcopum emittent; nisi utilitas vel necessitas immediatum inferiorum ad Episcopum recursum, aut immediatum Episcopi ad inferiores mandatum suadeat vel exigat.

XIII.

Iis omnibus, qui diversis suprà laudatis muniis investiti sunt, speciales concedemus facultates, quæ nobis idoneæ videbuntur, ut suum quisque munus valeat faciliùs et utiliùs obire. Porrò hæ facultates erunt ad arbitrium nostrum revocabiles et revocabuntur aut restringentur, prout circumstantiæ et utilitas publica postulabunt.

XIV.

Necessarium visum est nominare et nobis adsciscere Consilium episcopale, quod in partem sollicitudinis pastoralis veniat, et nos, in tanto onere sustinendo, suâ scientiâ, prudentiâ et zelo adjuvet. Hujus verò Consilii membra erunt nostri Vicarii generales, quorum unus in nostrâ absentiâ præsidebit, Officialis, Promotor, Pœnitentiarius, Theologus, Superior magni Seminarii, aliique sapientes viri quos advocare expedierit.

XV.

Consilium episcopale singulis hebdomadis, feriâ secundâ et, si sit impedita, feriâ sequenti, congregabitur. Tractabuntur omnia negotia, administrationem Diœcesis spectantia. Unusquisque proponet et referet causas

causas et quæstiones ad suam attributionem pertinentes, atque auditâ omnium voce consultativâ, resolvemus et statuemus id quod sanctis regulis magis congruum videbitur.

X V I.

Synodus diœcesana sacris Canonibus commendatur et præcipitur, ut medium ad disciplinam ecclesiasticam et Religionis dignitatem stabiliendam aptissimum. Defectibus medetur quæ vel officiorum neglectus vel pravitas morum in parochias invexit, Pastores ad majorem sedulitatem excitat, omnia in meliorem ordinem constituit.

Quotannis celebrabitur, feriis quartâ et quintâ hebdomadæ, quæ sequitur Dominicam secundam post Pascha. Ad eam convenient omnes Archipresbiteri, nisi legitimâ causâ, quam nobis notam facient, impediti fuerint. Absentium vices supplebuntur à Definitoribus.

Tempore opportuno ante Synodum, ad cameram episcopalem mittent in scriptis relationem de statu parochiarum sibi subditarum, cum suis observationibus; si quid in regimine diœcesano proponendum, promovendum vel corrigendum illis visum fuerit.

X V I I.

Ordo Synodi, Missæ solemnis, et sanctarum cæremoniarum pro catholicæ fidei professione, juramento obedientiæ DD. Episcopo debitæ, renova-

tione Consecrationis sacerdotalis et sanctorum Oleorum distributione, in libello speciali præscribetur.

XVIII.

In pluribus sessionibus proponentur, discutientur et ad sanctorum Canonum normam auctoritate episcopali ea definientur et statuentur, quæ ad majorem Dei gloriam, melioremque Diœceseos administrationem conducere videbuntur. Sancto Synodi opere perfecto, omnes, acceptâ episcopali benedictione, cum osculo pacis dimittentur.

XIX.

Rectè admodùm et opportunè Synodo diœcesanæ succedit Synodorum seu Capitulorum ruralium convocatio. Singulis annis locum habebit, feriâ quartâ quæ sequitur Dominicam quartam post Pascha, in omnibus parochiis archipresbiteralibus, præside Archipresbitero. His ruralibus Synodis, quando expediet, personaliter intererimus vel aliquem deputatum mittemus, qui Synodo præerit. Ad conventum se conferent cujuslibet Capituli membra, nempè omnes et soli Ecclesiarum succursalium Rectores.

XX.

Ordo Synodorum ruralium et sanctarum, quæ in iis observandæ sunt, cæremoniarum in libello supràdicto etiam præscribitur.

XXI.

Celebratâ Missâ, completisque aliis post eam cæ-

remoniis, Archipresbiter exponet ea quæ à Synodo diœcesanâ sancita sunt et alia specialia Episcopi mandata, si quæ sint. Penès singulos Pastores erit suas propositiones et difficultates in medium afferre, quæ sine contentione discutientur et collectis suffragiis solventur; difficiliores et gravioris momenti casus ad nos referentur. Acta Capituli in registris archipresbiteralibus inscribentur, et eorum exscriptio ad nostrum secretariatum semper mittetur.

XXII.

Sanctum Chrisma et S. Olea non alibi quàm in templo singulis Pastoribus ritu præscripto distribuentur. Nunquam in laïcorum manus ad viam tradantur; nonnisi Sacerdotibus aut saltem clericis, concredantur. A quâlibet Ecclesiâ, in quâ Sacramenta administrantur, solvendæ sunt tres libræ gallicæ, quæ, laudabili consuetudine, Ecclesiæ Cathedrali, tanquam omnium Ecclesiarum matri, debentur.

XXIII.

Mensam apparabit Archipresbiter, eamque simplicem admodùm et frugalem, ut nemo sumptibus, multò minùs potu gravetur. Satagant ut omnibus innotescat, Synodum non ad commessationem, sed ad ædificationem indictam esse. Initio prandii, legetur unum caput Scripturæ sacræ, ab Archipresbytero indicatum, et mensæ benedictio gratiarumque actio fient ritu qui in Breviario notatur. Constitutum prandii pretium

Pastores absentes, licet legitimè impediti, perindè ac præsentes æqualiter solvent.

XXIV.

Ab his capitularibus conviviis prorsùs excludantur quilibet extranei; quò majori cum libertate et uberiore fructu Pastores inter se de rebus ecclesiasticis colloqui et conferre possint. Caveant, ne, cùm spiritu cæperint, carne consummentur (1); sed indè discedere satagant, eminentiori scientiâ instructi et ardentiore studio inflammati ad statûs sui perfectionem consequendam, ovesque sibi commissas in via salutis dirigendas.

XXV.

Ut resuscitetur in Sacerdotibus gratia Dei, quæ eis data est per impositionem manuum (2), ut attrahatur Spiritus (3), et sancto ministerio necessariæ virtutes promoveantur, efficacissimum nobis medium visum est, quotannis spiritualia instituere exercitia, ad quæ alternis vicibus invitabuntur juniores præsertim, et etiam admittentur cujuslibet ætatis Ordinisque Sacerdotes, qui hujus salutaris et tantoperè à sanctis Patribus commendati instituti participes fieri desiderabunt.

Hæc pia exercitia locum habebunt in magno Seminario, incipientque feriâ tertiâ post eam Dominicam

(1) Gal. 3. 3.
(2) 2 Tim. 1. 6.
(3) Ps. 118. 131.

septembris, in quâ celebrabitur Festum Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, et intrà spatium decem dierum complebuntur.

XXVI.

Ad scientiam ecclesiasticam promovendam, eamque aliarum utilium et ipsi affinium disciplinarum ope roborandam; ut Religio malitiam omnimodarum adinventionum, quibus ab impiis oppugnatur, omni etiam demonstrationum genere invincibiliter confutare et confundere valeat; optandum maximè esset, ut in Capitulis ruralibus apud Archipresbiterum custodienda comparetur bibliotheca ex libris, quos capitulares aut alii benefactores inter vivos donarent, vel testamento legarent, et qui petenti cuilibet capitulari commodarentur.

Omnes verò, qui laborem aliquem susciperent Ecclesiæ utilem, librisque proposito suo conducibilibus opus haberent, confidant episcopalem et Seminarii bibliothecam eis ultrò semperque apertam fore.

XXVII.

Doceantur populi quàm magni sint momenti Visitationes episcopales, et quantoperè ad parochiarum ædificationem conferant. Enim verò sunt quasi continuatio et supplementum missionis Christi, in cujus nomine venit Episcopus, pro eo legatione functurus (1). Ille autem Princeps Pastorum circuibat civi-

---

(1) 2 Cor. 5. 20.

tates et vicos, prædicans Evangelium regni Dei, vocans peccatores, infirmos sanans, suscitans mortuos, ubicumque pertransibat benefaciens, et visitationis suæ lumen, gratiam et benedictionem effundens.

Apostoli ab eo missi et primi eorum discipuli, sæpè revertentes, visitabant Ecclesias (1) quas fundaverant, ut viderent quomodò se haberent, fratres consolabantur, neophitorum fidem confirmabant et numerum augebant.

Omnibus Episcopis, qui eandem divinamque missionem acceperunt, præcipit sancta Tridentina Synodus (2) assiduas diœceseon suarum Visitationes, quarum scopus sit sanam orthodoxamque doctrinam adstruere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere; cætera, prout locus, tempus et occasio feret, ex Visitantium prudentiâ, ad fidelium fructum constituere.

Nos tam præclaris exemplis, tàm gravibus monitis et motivis permoti, nostræ Diœcesis Visitationem quasi utilissimam nobisque jucundissimam Apostolatûs nostri functionem æstimamus et adimplemus. Fideles nostræ sollicitudinis Cooperatores desideramus utique et gaudemus sæpè sæpiùs videre, paternâ charitate amplecti, aliquid eis impertiri gratiæ

(1) Act. 15. 36. (2) Sess. 24. c. 3.

spiritualis ad eos confirmandos, simul consolari in eis per eam quæ invicem est, eorum fidem atque nostram (1). Eos rogamus et obsecramus per viscera Christi et per sacros nexus qui nos in eo coadunant, ut nobis corda sua aperiant, cum plenâ fiduciâ in sinum nostrum sua effundant vota, suas curas, difficultates, contradictiones; sibi persuadeant Nos, in nostris visitationibus ac in toto diœcesano regimine, nihil nobis aliud proponere, nihil antiquius nobis esse, quàm eorum labores in excolendâ vineâ Domini obsecundare; quæ benè operantur, auctoritate nostrâ confirmare; tribulationibus et contumeliis, quas pro nomine Jesu et propter justitiam patiuntur, Ipsimet compati, eosque pro posse nostro tueri? Eodem enim erga eos affectu premimur, quo Apostolus Gentium, cùm dicit: Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror (2)?

Adhortandi sunt populi, ut salutares ex Visitatione episcopali fructus percipere satagant. Confirmandi præsertim præparandi sunt ad recipiendum Spiritum Sanctum.

Si quid obstet, ne Ipsi Diœcesim vel aliquam illius partem visitare possimus, vices nostras supplebit unus ex nostris Vicariis generalibus, et cum honore atque reverentiâ debitâ recipietur, ut in Rituali præscriptum est.

---

(1) Rom. 1. 11. 12. (2) 2 Cor. 11. 29.

CAPUT III.

DE SEMINARIIS.

ARTICULUS I.

Cùm maximi momenti sit, in Ecclesiâ Dei non nisi Ministros idoneos et dignos Pastores promoveri, cùmque, ut apprimè observat S. Synodus Tridentina (1), adolescentior ætas, nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et nisi à teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequàm vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè ac sine maximo et singulari propemodùm Dei omnipotentis auxilio, in disciplinâ ecclesiasticâ perseveret; sanctæ Synodi decreto obsequi volentes, parvum Seminarium ereximus, ubi juniores adolescentes hujus diœceseos, quorum indoles et voluntas spem afferat, eos sacris ministeriis inservituros, salubri frugalique victu, qualis Clericos decet, alentur, religiosè educabuntur et disciplinis ecclesiasticis instituentur.

II.

Adolescentes verò ætate provectiores, qui in prælaudato Seminario humanioribus litteris et philosophiæ lectionibus instructi et probati, vel aliàs digni fuerint inventi, in magno nostro Seminario admittentur. Hîc Scripturam sacram, theologiam dog-

---

(1) Sess. 23. c. 18.

maticam et moralem, historiam Ecclesiæ, modum evangelizandi pauperes et catechisandi rudes, necnon Sacramentorum ritus, sacram liturgiam, cantum et cætera quæ ad cultum divinum, animarumque directionem pertinent, edocebuntur; sed super omnia virtutibus informabuntur, quibus fidelem dispensatorem (1), operarium inconfusibilem (2) in vineâ Domini ornari oportet.

III.

Cùm verò tota ferè istorum Seminariorum dotatio in voluntariis fidelium oblationibus fundetur, æquum est ut donorum et charismatum gratiæ perennes persolvantur; idcircò præcipimus, ut in magno Seminario quotannis, Feriâ quintâ post Cineres pro benefactoribus defunctis, et Feriâ quintâ post Dominicam in albis depositis, pro benefactoribus vivis, Missa solemnis celebretur, tanquàm perpetuam gratitudinis monumentum et pignus.

IV.

Moneantur parentes, si quis ex eorum liberis, virtutibus ecclesiasticis præditus et à Deo vocatus, ad Sacerdotium evehatur, illud utique familiæ decus et benedictionem allaturum; si verò, meri terrestris commodi gratiâ, indignum et à Deo rejectum in Clerum intruderent, istud pro malo sacerdote ejusque familiâ non nisi tristes et luctuosos exitus sortiturum. Ideò sua vota et proposita in re tanti momenti co-

(1) Luc. 12. 42. (4) 12 Tim. 2. 25.

ram Deo examinent, ejus gratiæ commendent, voluntatique subjiciant; ea Pastori suo bonâ fide communicent, qui ea ad pondus Sanctuarii appendet, obsecundabit et provehet, si Deo grata Ecclesiæque utilia videantur.

V.

Qui in Seminario sive parvo sive magno recipi desiderabunt, respectivis Superioribus se præsentabunt, testimoniis de moribus, de studiis et de facultatibus muniti, ut examinentur. Pastores autem, magistros et eos quorum interest, obsecramus et quidem propter conscientiam monemus, ut hæc testimonia scribant sine ullo favore aut motivo humano, sed in justitiâ et veritate pro gloriâ Dei et ædificatione Ecclesiæ.

V I.

Pastores insuper hortamur et quidem in Domino obsecramus, ut, si qui inter pueros felicia intelligentiæ pietatis, clericalisque vocationis, specimina præ se ferre videantur, has novellas et bonæ spei plantas speciali attentione observent et excolant, nobisque annuntient et offerant. Sic rem Deo gratam, sibi meritoriam, nobis jucundam et Diœcesi utilem facient. Hìc debitas sibi laudes et gratiarum actiones à nobis accipiant illi generoso propagandi sancti Ministerii studio incensi Pastores, qui per suos bonæ frugis alumnos Seminariorum nostrorum gentem multiplicârunt et lætitiam nostram magnificaverunt. (1)

(1) Isaï. 9. 3.

V I I.

Omni ope atque operâ providimus et providebimus ut Seminariis nostris præficiantur viri pii ac religiosi, graves et prudentes : ipsi quidem ad Seminariorum directionem informati et exercitati, non in nostro Seminario tantùm, sed etiam in Seminario parisiensi sancti Sulpicii, cujus nomen laus est, et quod Ecclesiam gallicanam tot sanctis Presbiteris, totque insignibus Episcopis ditavit. Tales magistri alumnos suo exemplo et cohortationibus tàm publicis quàm privatis erudient, et quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus *disciplinæ* (1), hæc in eorum mentes insinuabunt.

V I I I.

Studia et probatio in magno Seminario, trium annorum spatio, non minori, complebuntur, et diutiùs protrahentur, prout exiget cujuscumque insufficientia seu in scientiâ sive in pietate clericali.

I X.

Ante quamlibet sanctorum Ordinum collationem, Ordinandi examen subibunt coram nobis, nisi impediti simus, coram Concilio episcopali, Seminariorum Superioribus et Professoribus, ascitisque

(1) Phil. 4. 8.

aliis, si expedierit, viris divinæ legis et ecclesiasticarum sanctionum peritis, à quibus eorum doctrina, mores et vocatio diligenter investigabuntur.

X.

Omnes autem prælaudatos examinatores in Domino rogamus et obsecramus, eisque cum sanctâ Ecclesiâ præcipimus et eorum conscientiam obligamus, ut recogitent quantùm mali et scandali ex promotione ineptorum ministrorum oriatur, et ita religiosè sine acceptione personarum, ita cautè et discretè super omnes vota ferant, ut nullus in Sanctuarium introeat, nisi qui à Deo vocatus sit (1).

I X.

Dominicâ, quæ singula quatuor tempora præcedit, moneantur fideles jejunia, in eâ hebdomadâ præscripta, ideò præcipuè instituta fuisse, ut sancti Ministri, ad Ecclesiæ ædificationem animarumque salutem provehendam idonei, à Principe Pastorum obtineantur. Adhortandi sunt ut ferventes jejunio addant preces, quibus advocatus Spiritus Sanctus super omnes Episcopos catholicos et præcipuè super Nos simulque super omnes Ordinandos effundatur; ut Nos ad sacrum ministerium non nisi fideles dispensatores admittamus, illi verò sacris Ordinibus condignè initientur, et ecclesiasticis deindè officiis sanctè fungantur.

---

(1) Hebr. 5. 4.

XII.

Si quis extraneus, absque genuinis litteris dimissorialibus à proprio Episcopo obtentis, vel quilibet diœcesanorum nostrarum, à nobis non examinatus nec admissus, inter Ordinandos (quod absit) se intruderet; declaramus nostram intentionem non esse, talem temerarium ordinare, ideòque irritam nullamque fore ejus Ordinationem.

CAPUT IV.

DE PASTORUM VIRORUMQUE ECCLESIASTICORUM OFFICIIS.

ARTICULUS I.

Considerantes, 1° juniores Sacerdotes, qui præcedentibus melioribusque temporibus, Seniorum vigilantiæ et disciplinæ subjacebant, eorumque consiliis dirigebantur et probabantur, nunc cogente præsenti rerum ecclesiasticarum constitutione, è Seminario et ex sacrâ Ordinatione statim ad regendas parochias mitti, ubi quasi sui juris sunt, et independenti auctoritate potiuntur; 2° cùm solummodò scholæ theologiæ limina salutaverint et scientiæ nonnisi rudimenta delibaverint, eos mediocriter versatos esse in cognitionibus innumeris ad sanctum ministerium necessariis, atque oportere ut illas assiduo studio promoveant, augeant, perficiantque; 3° cùm prudentia, Pastoribus non minùs necessaria quam scientia, rara sit juventutis virtus et non

nisi longâ experientiâ acquiratur, valdè timendum esse, ne isti juniores Sacerdotes, inter tot negotia, tot pericula, in fervidæ ætatis impetu, consilio et ductore destituti, sibique solis relicti, pastorali oneri dignè sustinendo impares sint, et incautè à recto tramite aberrent; his incommodis et ambagibus, quæ sollicitudinem nostram premunt, occurrere et Ecclesiæ ædificationi juniorumque Sacerdotum utilitati favere volentes, statuimus quod sequitur.

I I.

Omnes nostræ diœcesis Sacerdotes, usque ad octavum annum suæ Ordinationis completum, 1° specialiori vigilantiæ et disciplinæ Archipresbiteri pastorisque vicini à nobis designandi commendabuntur. 2° Quotannis examinabuntur. Examinis autem materia, tempus et examinatores in Brevi liturgico vel speciali mandato notabuntur. 3° Pastorales eorum facultates singulis annis renovabuntur; nec alium quàm Vicariorum deservientium titulum habebunt. Illud probationis tempus poterit eminentium meritorum gratiâ abbreviari; protrahetur verò, prout exiget singulorum vitæprivatæ et publicæ ratio. Probatione sufficienti à nobis declaratâ, Parochorum titulo insignientur, ut seniores Ecclesiarum sucursalium Rectores. Omnes autem, nonobstante hoc titulo, erunt amovibiles.

I I I.

Si quis, etiam à longiori tempore ordinatus, in aliquâ sancti ministerii functione graviter ex igno-

rantiâ peccaverit, aut aliàs nobis innotuerit eum nescire nec studere ut discat ea quæ statûs sui et officii sunt; prædicto examini sudjicietur, atque, si non satisfaciat, à pastorali ministerio excludetur, secundùm verba Oseæ prophetæ: Quia tu repulisti scientiam, repellam te (1).

I V.

Si quis Pastor, dignitatis suæ et reverentiæ, quam Ecclesiæ, cujus est minister, debet, oblitus fuerit et gravioris delicti scandalum dederit, in Seminarium nostrum se conferre, prout expedierit, jubebitur: ubi severiore disciplinâ, spiritualibus exercitiis, amicis adhortationibus ad meliora revocatus, Ecclesiam quam contristavit, sacerdotali vitâ et utili labore consolabitur et ædificabit.

V.

Cùm salus et incolumitas christiani gregis à Pastoribus, quorum curæ concreditur, maximè pendeat, et valdè nobis cordi sit in re tanti momenti omnem pro nostro officio diligentiam impendere; quoties parochia archipresbiteralis conferenda erit, in Concilio episcopali deliberabitur, ut datis eâ religione quam suprà commendavimus et ponderatis omnium suffragiis, digniorem et parochiæ utiliorem eligere et instituere possimus.

---

(1) Cap. 4. 6.

V I.

Attendant Pastores sibi præcepto divino mandatum esse ut oves suas cognoscant; pro illis sanctum Sacrificium singulis saltem diebus Dominicis et Festis offerant, semel tantùm pro omnibus, si bis celebrent; illas verbi divini prædicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascant; illas in omni necessitate paternâ sollicitudine complectantur et foveant, ac etiam pro illis, si opus est, animam suam ponant (1).

V I I.

Sibi applicent præclaram Christi parabolam (2), quæ eos præcipuè spectat, et continuò vigilent ne, ipsis dormientibus, veniat inimicus et in agro patrisfamilias superseminet depravatæ doctrinæ morumque corruptorum zizania, quæ sanæ fidei christianarumque virtutum triticum præfocarent. Ea verò, si subnasci aliquando cœperint, festinent evellere, sed tempestivè et prudenter; ne eradicent simul cum eis et triticum.

V I I I.

Habeant zelum Dei, sed secundùm scientiam (3). Caveant ab isto acri, amaro (4) et præcipiti zelo,

(1) Joann. 11. 11.
(2) Matth. 13. 24.
(3) Rom. 10. 2.
(4) Jac. 3. 14.

qui

qui nedùm homines Christo lucrifaciat, eos exasperat et abalienat, odiumque in Religionis Ministrum et in ipsam Religionem concitat. Benè sibi in mentem infigant verba, quibus Christus discipulos suos increpat, impetu minimè evangelico petentes, ut ignis descenderet de cœlo, illosque consumeret qui eum non receperant. Nescitis, inquit, cujus spiritûs estis (1). Ab illo discant mites esse et humiles corde, et invenient requiem animabus suis (2). Eam sibi malè turbant Sacerdotes rudis et violenti ingenii, multisque se molestis nec scandali immunibus negotiis implicant.

IX.

Pauperibus præsertim, puellis nubilibus et egenis, *orphanis*, *viduis*, senibus aliisque miserabilibus personis, temporali aut spirituali misericordiâ indigentibus, ipsimet pro viribus opitulari, et alios suo exemplo et hortatu ad illud officium incitare studeant. Sacerdotes enim sunt viri misericordiæ, quorum pietates deesse non debent. (3)

X.

Sunt etiam Angeli pacis. (4) Ipsorum est, quantùm possunt, simultates inter suos parochianos tollere, odia restinguere, lites componere, concordiam in

---

(1) Luc. 9. 54.
(2) Matt. 11. 29.
(3) Eccli. 44. 10.
(4) Isaï. 33. 7.

familiis instaurare, charitatem in omnium cordibus insinuare et fovere. Beatus Pastor, beata parochia, in quâ fidelium, sicut primorum Christianorum, cor unum esset, et anima una (1); eximiamque hanc laudem mererentur, quam pagani primis Christianis dabant: Videte quomodò se amant. (2)

X I.

Eos adhortamur ut totam suam parochiam semel quotannis circumeant et visitent. Sic oves suas meliùs cognoscent et ab illis cognoscentur. (2) Faciliùs et utiliùs consilia, monita, solatia, auxilia dabunt, quæ sua eis prudentia et charitas suggerent. Hæc, non quidem familiaritas incongrua et indecora, quæ prorsùs vitanda est; sed officiosa benevolentia et affabili comitate condita gravitas, quàm potenter corda trahant, quantam Pastori afferant venerationem et amorem, nemo non intelligit.

X I I.

Operæ etiam pretium est, ut librum habeant, in quo parochianorum suorum nomina, vitæ genus seu professio, facultates, mores et familia inscribantur, ibique confirmatorum et primâ communione perfunctorum nomina addantur. Ea est agendi ratio boni patrisfamilias. Res suas ordinatè disponit. Uno ictu oculi inspicit, quomodò se habeant; prudenter providet quid in eis promovendum, quid præcavendum, quid reficiendum sit. Essentne filii

---

(1) Act. 4. 32. (3) Joann. 10. 14.
(2) Tertull.

hujus sæculi prudentiores in negotiis temporalibus quàm filii lucis in spiritualibus? (1) Sed advertendum in hoc libro quasdam notas ita cautè esse inserendas, ut ab aliis non possint intelligi; et, si liber fortè in extraneas manus incidat, nihil indè offensionis et molestiæ oriri possit.

XIII.

Ad persolvenda verò, ut par est, tot tantaque pastoralis officii debita, tenentur ad assiduam in suâ parochiâ residentiam; nec ultrà hebdomadam, salvis semper diebus Dominicis et Festis, absint, nisi Superioris licentiam obtinuerint, suæque parochiæ curam alicui commiserint. Si qui frequentiùs abessent, eos monebit Archipresbiter, ac si monita nihil proficiant, eos nobis deferet.

XIV.

Pastores Vicarios suos æstiment et diligant ut filios. Eos miti, benevolo et grato quidem animo complectantur, ut suos cooperatores et in evangelicis laboribus adjutores, quibus non totum onus imponendum est, sed partiendum, conjunctisque viribus et animis portandum, ut levius et utilius fiat. Eos, præsertim juniores et adhuc imperitos, amico studio in pastorali officio erudiant et exerceant, utpotè et ipsos quondam Pastores futuros.

XV.

Vicarii vicissim Pastorem suum observent et ho-

(1) Luc. 16. 8.

norent ut Superiorem, revereantur et ament ut Patrem, audiant et sequantur ut in sacri Ministerii scientiâ et praxi Magistrum et Ductorem. Ament doceri, ut aliquando docere valeant. Ne præsumant esse magistri, cùm vix cæperunt esse discipuli. In casibus præsertim magni momenti, procedere non confidant, nisi re cum eo deliberatâ. Nunquam è parochiâ absint, eo non commonefacto, ut ordo et bonum parochiæ exigunt; ne fortè omnes absint, cùm subita et inopina urget Sacramenti administrandi necessitas. Sed eos præcipuè, pro honore et fructu sancti Ministerii, obsecramus per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut non sint in illis schismata; sint autem perfecti in eodem sensu et in eâdem sententiâ (1). Facilè intelligere debent, si cum Pastore suo non consentiant, opportunum et quidem necessarium esse, ut loco cedant et in aliam partem vineæ Domini mittantur, ubi utiliùs et jucundiùs laborabunt.

XVI.

Omnes generatim Clerici in sortem Domini vocati sunt, ipseque Dominus est pars hæreditatis et calicis eorum (2): ideò luctuosum foret in Ecclesiâ portentum, si Clerici non meliores, imò pejores essent quàm laici. Levia in istis delicta, in illis maxima reputantur. Non à malo tantùm, sed ab omni specie malâ abstineant se (3), nemini dantes

(1) 1 Cor. 1. 10.
(2) Psal. 15. 5.
(3) 1 Thess. 5. 22.

ullam offensionem, ut non vituperetur eorum Ministerium (1). Spectaculum facti sunt mundo, Angelis et hominibus (2). Supra candelabrum positi sunt. Sic luceat lux eorum coram hominibus, ut videant opera eorum bona et glorificent Patrem, qui in cœlis est (3).

X V I I.

Ut autem vitam verè sacerdotalem agant et munia sua dignè obeant, meminerint orationem et meditationem esse sibi necessariam, imò hanc esse statûs sui propriam exercitationem. Viri desideriorum (4) esse debent et spiritum precum habere (5). Illos præcipuè oportet semper orare et non deficere (6), ita ut, juxtà S. Augustini interpretationem, oratio omni tempore opportuno per certa horarum intervalla fiat, nunquam ex negligentiâ aut tædio prætermittenda; ne quod tepescere cœperat, omninò frigescat, et penitùs extinguatur, nisi crebriùs inflammetur. Væ illis, qui de oratione mentali parùm curant. Omnis eorum religio arida est, imperfecta et ad ruinam promptior, inquit S. Bonaventura. Beatus verò ille, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum; quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non

---

(1) 2 Cor. 6. 3.
(2) 1 Cor. 5. 9.
(3) Matth. 5. 10.
(4) Dan. 9. 23.
(5) Zach. 12. 10.
(6) Luc. 18. 1.

defluet (1). Viri igitur ecclesiastici assiduo tacitæ meditationis studio statis horis incumbant, neque se pastoralis sollicitudinis multiplicibus curis excusatos putent; sed regem prophetam æmulentur, qui, licet innumeris regni negotiis premeretur, quotidiè meditabatur cum corde suo, exercitabatur et scopebat spiritum suum. (2)

XVIII.

Sed omnes, præsertim Canonici, eò constantiori et ferventiori pietate horarum canonicarum pensum persolvant, quòd ex officio ab universâ Ecclesiâ deputati sint, ut totius generis humani causam apud Deum optimum maximum agant, eique omnium congemiscentium fidelium vota, preces et laudes offerant. Vespere, manè et meridie ascendant ad montem sanctum, puras ad Deum levent manus, sicut Moyses, dùm Israel pugnabat contrà Amalec (3). Cùm levaret ille manus, vincebat Israël; sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec. Similiter ex Cleri indefessâ in orando perseverantiâ maximè pendet salus populi Dei et victoria de inimicis suis.

Quàm graviter igitur delinquunt, quàm malè Ecclesiæ expectationem fallunt, suoque eam jure fraudant, qui ipsis concreditam orationem publicam omittunt, vel sanctum illud munus, in quo Angelis

(1) Psal. 1 3.

(2) *Ibid.* 76. 7.

(3) Exod. 17. 10.

et Cœlitibus consociantur, cursim et oscitanter, sine præparatione, attentione et devotione adimplent. Deum quidem labiis honorant, cor verò eorum ab illò longè est (1), et in cogitationes vanas fortèque pejores divagatur.

X I X.

Inter virtutes sacerdotales præcipuè eminet castitas, et Ecclesia Ministros suos non consecrat, nisi sub conditione et promissione probatæ ac perpetuæ castitatis. Eos etenim, qui Deo familiariùs appropinquant, Sancta Sanctorum quotidiè ingrediuntur Agnumque immaculatum offerunt, decet illibatâ mentis et corporis puritate præfulgere. Sed attendant se thesaurum istum habere in vasis fictilibus (2), quæ facilè rumpuntur, nisi maximâ cautione custodiantur. Castigent ergo corpus suum et in servitutem redigant (3), ne caro concupiscat et insolescat adversùs spiritum (4). Continuò vigilent et orent, ad hostem debellandum eò magis formidabilem, quòd in nobis ipsis habitat et incessanter contrà nos pugnat. Maximâ diligentiâ vitent omnem occasionem peccati, quod in cunctis hominibus crimen est, in Sacerdotibus verò sacrilegium. In istis nihil populos magis offendit omnemque fiduciam tollit, quàm immunditia, in Sanctis nequidem nominanda (5).

---

(1) Matt. 15. 18.
(2) 2 Cor. 4. 7.
(3) 1 Cor. 9. 27.
(4) Gal. 5. 17.
(5) Eph. 5. 3.

X X.

Quapropter decretis SS. Conciliorum obsequentes, ac antiqua Diœceseos Statuta renovantes, prohibemus ne cujuscumque Ordinis Ecclesiastici familiari consuetudine cum mulieribus, præsertim suspectis, uti ausint. Nullas in domo suâ habeant, nisi sanguine proximas, ut matrem aut sororem aut amitam, vel materteram, aut neptem, modò ista non sit junior, aut aliam offensionem timendam præ se non ferat: de quâ re nobis referet Archipresbiter. Eas tantùm pro re domesticâ gerendâ personas sibi assumant, quæ, bonâ famâ, humili modestiâ et provectâ ætate, omnem suspicionem et scandalum excludant; hæc verò ætas non sit minor quàm 40 annorum. Nullus seipsum ità abjiciat et inhonoret, ut famulæ suæ ad mensam sibi assidere indulgeat. Si quis contrà hæc præscripta, post sex à publicatione menses delinquere præsumpserit, nisi specialem dispensationem obtinuerit, quam ægrè et gravissimis duntaxat de causis impertiemur; sciat se pœnâ suspensionis esse plectendum.

X X I.

Castitatis comes et amica est sobrietas. Vitium quod istam lædit, illam labefactat. Immodicam potationem districtè et cum execratione vetat Scriptura sacra, dicens: Væ vobis, qui potentes estis ad bibendum vinum. (1) Inprimis ergo Sacerdotes immoderato potui

---

(1) Isai. 5. 22.

nunquam indulgeant, neve ad plures horas convivia producant : quod absque nimio vino rariùs fit, nunquam absque laïcorum scandalo. Quàm maximè verò ab ebrietate abhorreant. Hæc omnem quidem hominem valdè dedecet, sed Sacerdotem vilissimum facit et in summam contemptionem adducit. Vinolentus ergo non feratur ; (1) sed nobis denuntietur, ut corripiatur. Si autem correptus non emendetur, à sancto Ministerio suspendetur.

X X I I.

Sub eâdem pœnâ prohibentur viri ecclesiastici cauponam, manducandi vel bibendi causâ, unquam ingredi. Sola eis diversoria in itinere, pro necessitate et ex bonâ fide, permittuntur. Prorsùs vitent convivia nuptiarum, nisi excuset forsan proximitas sanguinis, cùm paucæ adsunt personæ graves. Fugiant compotationes pomeridianas, vel in domo suâ vel in alienâ. Detestentur turpem consuetudinem certandi inter se poculis et provocandi invicem ad bibendum. Consortium quorumvis intemperantium et malè moratorum studiosè declinent. Quandoque autem cum viris bonæ famæ et probatæ virtutis consuetudinem habere, nihil habet reprehensionis.

X X I I I.

Pastorum aliorumque Sacerdotum mensam decet simplex et moderatus, non exquisitus et multiplex apparatus. Caveant iis assimilari, qui terrena tantùm sapiunt et (2) suo ventri serviunt. Eorum con-

(1) Tit. 1. 7. (2) Rom. 16. 18.

vivia ne fœdet ullum inhonestum, scurrile, procax aut maledicum, nequidem (1) otiosum verbum, de quo reddetur ratio in die judicii; sed condiantur lætis quidem et amicis, semper verò utilibus, prudentibus et religiosis colloquiis.

X X I V.

Sciant venationem, aleam, ludum in locis publicis, etiam honestum, sibi pariter esse interdicta. Quævis aversentur spectacula profana, voluptatum incentiva, viro gravi ac religioso indecora et periculosa, et quidquid ad aurium oculorumque illecebras pertinet.

X X V.

Si quid temporis ab ecclesiasticis officiis vacat, illud non in otio neque in desidiâ, nec in rerum inutilium curiositatibus conterant; sed in congruis statui suo exercitationibus impendant. In ipsis animi recreationibus et oblectamentis homini necessariis, non obliviscantur nec exuant gravitatem Sacerdotis. Vir sapiens, inquit Ecclesiasticus, multò autem magis Sacerdos, vix tacitè ridebit (2).

X X V I.

Deo militantes, ne se implicent negotiis sæcularibus, nec terrenis cupiditatibus inserviant. Ne, quæstûs faciendi gratiâ, alienos agros conducant, vel alicujus familiæ domesticam administrationem

---

(1) Matt. 12. 36. (2) Cap. 21. 23.

suscipiant, aut negotiationem vel quidvis aliud aggrediantur, quod turpis lucri aut usuræ vel levissimam notam et speciem habere possit.

X X V I I.

Oportet (1), Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut, per decentiam habitûs extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. Idcircò præcipimus ut non nisi veste nigrâ, aut subnigrâ vel pullâ, non nimis brevi, sed ad medietatem tibiarum usque protensâ, utantur. Togam talarem ferant, saltem diebus Dominicis et Festis atque in omnibus alicujus momenti circumstantiis. Æqualiter vitent mundanum exquisitâ elegantiâ luxum, qui scandalum pariat, et abjectam sordidamque negligentiam, quæ contemptum afferat. Gestent crines ad modestiam compositos, cum tonsurâ clericali, quam Coronam vocant.

X X V I I I.

Nihil in eorum suppellectili, victu, habitu, conversatione ac omni vitæ genere appareat, quod non humilitatem, simplicitatem, frugalitatem, modestiam humanarumque vanitatum contemptum præ se ferat.

X X I X.

Ne putent parvi suâ interesse, ut sui domestici

---

(1) Trid. sess. 23.

et familiares intactos mores habeant, et in vestitu, cultu omnibusque actibus honestatem, gravitatem et prudentiam ostendant, quæ decet domum Ministrorum Dei. Si quid in istâ fiat indecorum, in Pastorem redundat, illique vitio vertitur. Si quis, ait Apostolus, domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit (1)?

X X X.

Charitas, christianarum virtutum regina, inter omnes Christi fideles utique regnare debet, sed inter Sacerdotes eò magis eminere, quò eminentior est et perfectior eorum status. Charitate fraternitatis se invicem diligant, honore invicem præveniant (2), officiosis obsequiis et salutaribus monitis adjuvent. Si alter fortè in alterum ex humanâ fragilitate peccaverit; non indè livor emergat, sed charitas emendet et condonet. Qualiscumque inter eos causa agatur, sine contentione et rumore, non alio quàm episcopali judicio finiatur. Vincat charitas, vincat pax in cordibus eorum. Sacerdotum simultates et dissentiones populos vehementer offendunt, ipsum Sacerdotium inhonorant et in contemptionem adducunt.

X X X I.

Cùm aliquis Pastor ægrotabit, sui eum vicini assiduè visitent. Si quid patitur unum membrum,

---

(1) Rom. 12. 10. (2) 1 Tim. 3. 5.

compatiuntur omnia membra (1). Ei dentur charitatis solatia et salutis monita. Si periculum sit in morâ, statim ei conferantur Sacramenta; si verò nihil urgeat, advocetur Archipresbiter, qui hoc ei præstabit officium, ac, si decedat, ejus exequias celebrabit, pauca ad ædificationem verba faciens. Omnes Archipresbiteratûs confratres aderunt; quod suum cuique erit, ad piæ cæremoniæ decorem afferent, et invitabuntur ut pro eo, qui in Domino obdormivit, sanctum Sacrificium semel offerant. Laudabilem salutaremque usum introduci optamus, quo Pastor quilibet primum anniversarium defuncti prædecessoris diem oblatione piacularis Victimæ cum suis parochianis piè recolat, ipse pari quondam obsequio juvandus.

XXXII.

Archipresbiter provisoriè nominabit parochiæ Administratorem, cui omnes pastorales facultates concedimus.

Cùm vero Archipresbiter ipse decesserit, Definitor Administratoris vices geret, vel Administratorem interim constituet.

XXXIII.

Cùm non solùm registri seu libri parochiales, sed etiam omnia scripta, litteræ pastorales, mandata et decreta, ab Auctoritate cùm ecclesiasticâ tum

(1) 1 Cor. 12. 26.

civili ad Pastorem missa, vel quæcumque aliàs bonum publicum parochiæ spectantia et in presbiterio existentia, ad parochiam pertineant; vigilabit Archipresbiter ut, morte vel mutatione Pastoris interveniente, hæc omnia non distrahantur. Ea colliget, coadunabit, suo sigillo muniet, et in loco tuto deponi curabit. Hæc advenienti successori tradentur, cum eorum catalogo quem iste suscribet. Sic fiet in omni parochiæ vacatione.

X X X I V.

Cùm alicujus parochiæ Rector, Sacerdos vel Clericus, ex hac vitâ ad Dominum migraverit, dies obitûs à Superiore respectivo nobis annuntiabitur, ut vacanti parochiæ provideatur, et quotannis in Brevi liturgico addatur necrologium, *Defunctorum*que animæ sancto Sacrificio et precibus Confratrum commendentur.

X X X V.

Decreta sacrosanctæ Synodi Tridentinæ et Canones SS. Conciliorum, præsertim Ecclesiæ *gallicanæ*, in Breviario Metensi collectos, de vitâ et honestate Clericorum, necnon de sanctis regulis pastorale Ministerium spectantibus, eadem hîc repetita volumus, et studiosè legenda atque observanda mandamus.

TITULUS XI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Articulus I.

Nullum est inter homines fœdus antiquitate venerabilius, firmitate inviolabilius, humanique generis propagationi et felicitati conducibilius quàm Matrimonium. Illud Deus optimus ab initio instituit, cùm nostros Protoparentes conjunxit illisque benedixit. Illud Christus Dominus ad Sacramenti dignitatem evexit, et gratiam quæ conjugum naturalem amorem perficiat atque indissolubilem unitatem confirmet, illosque sanctificet, per sacerdotalem benedictionem confert. (1)

I I.

Pastores eos, qui Matrimonio conjungi volunt, moneant ut in tanti momenti negotio sese supremo Arbitro commendent, in cujus manibus sunt sortes humanæ, (2) divinamque benedictionem impetrent

(1) Trid. sess. 24. (2) Psal. 30. 16.

per preces pias, rectam intentionem et christianam vitam. Meminerint se esse filios Sanctorum et non posse ita conjungi, sicut gentes quæ ignorant Deum; (1) sicut illi qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se et à suâ mente excludant et suæ libidini vacent (2). Pietati etiam filiali satisfaciant et parentum consilio obsequantur; qui et ipsi sunt adhortandi, ut numquam liberos per vim ad has vel illas nuptias compellant. Tristi experientiâ constat matrimonia, ex præcipiti levitate, vel avidâ cupiditate aut cæcâ libidine contracta, infinitas parere difficultates et exitus sortiri infelices.

III.

Pastores apprimè calleant et memoriâ teneant omnia impedimenta à Potestate cum ecclesiasticâ tum civili statuta, ne ex ignorantiâ matrimonia nulla et invalida benedicant.

IV.

Diligenter à futuris sponsis inquirant de omnibus quæ ad legitimum Matrimonium pertinent: an sint omninò liberi, an non aliquo impedimento dirimente ligati, an sciant præcipua capita Religionis catholicæ, præsertim si sint è rudi plebe.

V.

Bannorum proclamationes ne fiant, nisi de ex-

(1) Tob. 2. 18. (2) Tob. 6. 7.

pressâ

pressâ sponsorum voluntate, et, si sint minores, de consensu etiam eorum sub quorum potestate sunt.

V I.

Hæ proclamationes fieri debent intrà Missarum solemnia, tribus diebus Dominicis aut Festis, non tamen continuis, sed saltem unius diei intervallo inter se distantibus; in parochiâ domicilii actualis amborum sponsorum, et in parochiâ domicilii præcedentis, si actuale non sit saltem sex mensium continuorum, quando præcedens est ejusdem diœcesis; (necnon si actuale non sit saltem unius anni, cùm præcedens pendet ab aliâ diœcesi. (1 a) (1°) LXII

Si sponsi duo publica domicilia habeant, in utroque proclamationes fiant. Si sponsi sint minores, banna proclamanda sunt pariter in domicilio juris, id est in parochiâ parentum (~~vel tutorum.~~)

V I I.

Unius saltem diei intervallum intercedere debet inter ultimam proclamationem et Matrimonii celebrationem. Si vèrò, intrà duos menses post ultimam proclamationem, sine legitimâ causâ non celebretur, banna sunt de novo proclamanda.

V I I I.

Cùm petitur dispensatiò unius vel duorum bannorum, hujus petitionis mentio in præcedenti proclamatione facienda est.

I X.

Si quod impedimentum Matrimonii detegatur, vel oppositio juridica fiat; ulteriùs ne procedatur, usquedùm, re ad nos relatâ, constiterit quid de eâ statuamus.

X.

Gravissimè peccant et minas excommunicationis incurrunt, qui scientes falsum Matrimonii dirimens impedimentum denuntiant, aut illud ex malitiâ et sine causâ quocumque modo impedire attentant; sed et illi etiam graviter peccant et redarguendi sunt, qui verum impedimentum cognoscentes, negligenter vel malevolè reticerent.

X I.

Nullis filiis aut filiabus minoribus detur benedictio nuptialis, nisi consensum parentum obtinuerint; nec illa detur etiam majoribus, nisi hunc consensum obtinuerint vel per obsequiosas, ut vocant, interpellationes requisierint.

Etiamsi illi quidem contrà pietatem filialem deliquerint, adhortandi tamen sunt parentes, ut æternas et irreconciliabiles iras non servent; sed attentâ liberorum resipiscentiâ, bono et religioso regimine, petitâque humiliter instanterque veniâ, eos in gratiam recipiant.

X I I.

Futuri sponsi doceantur se nefandum sacrilegium commissuros, et gratiis suo statui maximè necessariis

privatum iri, si, peccati mortalis conscii, Sacramentum Matrimonii recipere impiâ temeritate præsumerent. Juxtà S. Concilii Tridentini decretum (1) adhortandi sunt, ut ad benedictionem nuptialem non ultimis tantùm antè diebus, sed tempore opportuno se disponant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiæ Sacramentum piè accedant. Pastori suo testimonium afferant, quo constet se huic religionis officio satisfecisse. Sufficit testimonium de Sacramento Pœnitentiæ.

XIII.

Sunt etiam severè monendi, ne tempore intermedio à mutuâ matrimonii promissione bannorumque denuntiatione ad benedictionem nuptialem, in iisdem ædibus cohabitent, neque ullâ familiaritate utantur, quæ christianæ pudicitiæ legibus adversetur. Admonendi sunt etiam parentes, ut ipsi in his lubricis circumstantiis morum castitati invigilent.

XIV.

Quilibet Pastor caveat nuptialem benedictionem dare, antequàm à Pastore sponsi vel sponsæ, in alterâ parochiâ habitantis, scriptum acceperit, quod fidem faciat, bannorum proclamationes aut factas aut Episcopi voluntate remissas, nullumque legitimum impedimentum matrimonii significatum fuisse. Si fortè abscriptionem illius Pastoris non certò cogno-

(1) Sess. 24.

verit, litterasque testimoniales sibi exhibitas de falso suspectos habeat, certior fiat de rei veritate, priùsquàm ulteriùs procedat. Si verò Pastor ille sit ex aliâ diœcesi, ejus litteræ subscriptione et sigillo sui Episcopi in formâ authenticâ muniantur, nisi aliundè nota sit earum authenticitas. Testimonia proclamationum ne dentur ipsâ die ultimæ proclamationis, sed postridiè post elapsas circiter 24 horas.

X V.

Requiritur domicilium sex mensium continuorum in unâ parochia, ad effectum recipiendi in eâ benedictionem nuptialem; alioquin habeatur consensus Pastoris domicilii præcedentis. Si verò filius minor aut filia minor bonâ fide exierint è domicilio facti, ut redeant in domicilium parentum vel tutorum, in isto statim post reditum nuptiæ possunt benedici. Idem liceat etiam filiis et filiabus majoribus, si domicilium facti sit hujus diœcesis; si verò istud ex aliâ diœcesi pendeat, Pastoris loci licentia est obtinenda.

X V I.

Sub interminatione suspensionis prohibetur dare benedictionem nuptialem, nisi authentico testimonio constet de contractu civili inito coram magistratu.

X V I I.

Jus benedicendi matrimonium soli Pastori alterutrius sponsorum competit, et ex receptâ ubique

consuetudine, à Pastore sponsæ exercetur. Si quis Pastor aut Sacerdos sponsos alterius parochiæ benedicere ausus fuerit, absque proprii sponsorum Pastoris vel Episcopi licentiâ, ipso facto pœnam suspensionis incurrit.

XVIII.

Nulli Pastori liceat vagam et indeterminatam parochianis suis dare licentiam recipiendi benedictionem nuptialem à quocumque voluerint Sacerdote, sed nominatim designet eum, cui hæc licentia conceditur; alioquin sententiâ suspensionis ligabitur.

XIX.

Observetur hujus diœcesos consuetudo, quâ sponsalium benedictio benedictionem nuptiarum immediatè præcedit.

XX.

Nuptiæ celebrandæ sunt coram duobus vel tribus testibus; in Ecclesiâ parochiali, non in domo privatâ; intrà Missarum solemnia, quantùm fieri poterit; ab aurorâ usque ad horam primam pomeridianam; nunquam serò propter ingruentia indè scandala.

XXI.

Nuptiarum celebrationem ne turbent risus, cachinnationes aut alia ridicula verba; sed omnes qui adsunt, debitam sacræ cæremoniæ reverentiam exhibeant, et pro sponsis Deum optimum orent ut ipse eos conjungat, impleatque in eis suam benedictionem.

XXII.

Docendi sunt non solùm futuri sponsi, sed fideles generatim et assiduè, quàm necessaria sit benedictio nuptialis et gratia sacramentalis illi annexa, ad gravia matrimonii onera sustinenda, multipliciaque officia adimplenda; quantum sibi damnum, quantam sanctis Conciliorum legibus injuriam et fidelibus omnibus scandalum afferant, qui matrimonium coram publico magistratu civiliter tantùm contrahunt, et magnum hoc in Christo et in Ecclesia Sacramentum (1) in facie Ecclesiæ celebrare respuunt; qui honestate et Religione contemptâ, in conjugio non christianè, sed gentiliter vivunt.

XXIII.

Qui post civiles nuptias Sacramentum matrimonii, licet possent, recipere noluerunt, iis alia Sacramenta sunt deneganda, etiam in articulo mortis, nisi demonstrent sincerum de peccato et scandalo dolorem, firmumque propositum recipiendi quàm primùm, restitutâ valetudine, benedictionem nuptialem; quam quidem in domo et in lecto ægritudinis, si expedierit, pro prudentiâ Pastoris, coram requisitis testibus, dari permittimus; bannorumque denuntiandorum dispensationem impertimur, et sic rehabilitati Matrimonii mentio in parochialibus registris pro more fiat.

---

(1) Ephes. 5. 32.

XXIV.

Statim post solemnem Matrimonii benedictionem, inscribantur in parochialibus registris locus, dies, mensis et annus, nomina, conditio, et domicilium sponsorum, majorum vel minorum, parentum et testium; bannorum proclamatio aut dispensatio, sine ullo impedimento vel oppositione interveniente; parentum consensus, cum omnium, ad quos pertinet, subscriptione, vel mentione non factæ subscriptionis.

XXV.

Si quis Pastor sponsos alterius parochiæ cum eorum Pastoris licentiâ benedicat, expedit ut actum Matrimonii è suis registris transcribat, et ei mittat transcriptionem, in ejusdem etiam registris inserendam. Sic familiæ faciliùs testimonia authentica invenient, quæ suas genealogias spectant.

XXVI.

Si sponsi filios antè matrimonium natos habeant, quos recognoscere seu legitimare velint, hæc recognitio seu legitimatio in ipso actu Matrimonii non inscribatur; sed post actum Matrimonii fiat alius actus distinctus recognitionis aut legitimationis, qui à solis sponsis et Pastore subscribatur. Sic dari potest exscriptio actûs matrimonialis, nullâ factâ mentione recognitionis aut legitimationis, et intactus manet honor familiarum.

XXVII.

In conviviis nuptialibus servetur modestia et sobrietas, atque ab omnibus excessibus, qui christianas nuptias dedecent, abstineatur.

XXVIII.

Ex decreto sacrosanctæ Synodi Tridentinæ, prohibetur solemnis nuptiarum celebratio, ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, et à Feriâ quartâ Cinerum usque in octavam Paschatis inclusivè.

XXIX.

Dominicis etiam et Festis diebus, pro reverentiâ solemnitatis, nuptias celebrare non convenit, et nullæ benedicantur, nisi propter graves causas et obtentâ Episcopi licentiâ.

XXX.

Secundùm laudabilem Ecclesiæ consuetudinem, secundæ nuptiæ seu nuptiæ viduarum, quamvis licitæ et honestæ, non benedicuntur sicut primæ, neque etiàm nuptiæ mulierum, quas constat vel earum publicâ confessione vel publico judicio, fuisse ab alio quam sponso corruptas.

XXXI.

Nullus militiæ adscriptus ad nuptialem benedictionem admittatur sine militiæ ducum licentiâ, et nisi post diligentem inquisitionem ac obtentam certitu-

dinem omnium quæ ad legitimum Matrimonium requiruntur. Vagi non admittendi absque nostro expresso mandato et in scriptis edito.

XXXII.

Nullus Pastor præsumat Matrimonium unius personæ catholicæ cum hæreticâ benedicere; sed rem ad nos referat, ut quod expedierit statuamus. Qui contraierit, ab officio suspendetur.

XXXIII.

Cùm absentia, quantumvis longa, mortem non probet; nonobstante quâcumque præsumptione, nisi authenticum testimonium mortem prioris conjugis confirmet, secundæ nuptiæ non celebrentur.

XXXIV.

Non solùm singulorum hominum, sed totius Reipublicæ christianæ pax et felicitas in bono conjugiorum regimine præcipuè sita est. Ideò operæ pretium est, ut Pastores sedulò populos doceant quisnam sit Matrimonii finis, quænam officia et bona.

XXXV.

Deus optimus societatem conjugalem benigno providentiæ suæ consilio ordinavit, ut in eâ conjuges mutuum et semper præsens haberent in infirmitatibus necessitatibusque sublevandis auxilium et operam; in obligationibus adimplendis exemplum et cohortationem; in humanæ vitæ tribulationibus perferendis commiserationem et solatium.

XXXVI.

Christianorum Matrimonia repræsentant unionem Christi cum Ecclesiâ; proindè, viri debent diligere uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam (1); et sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus (2). Mutuus eorum amor sit castus; ita ut sciant vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum (3): amor sit fidelis et constans; ita ut sint tantùm duo in carne unâ (4); et quod Deus conjunxit, homo non separet, discordia non turbet, libido non fœdet, divortium non frangat.

XXXVII.

Thori immaculati et honorabilis in omnibus connubii (1) fructus et benedictio est proles; non ut nascatur tantùm, sed etiam et multò magis ut renascatur. Ideò paternâ sollicitudine et summâ diligentiâ incumbant conjuges, ut liberi sui christianâ disciplinâ instituantur, à periculis, vitiis et impietatibus pessimi istius sæculi præserventur, virtutes colant ac pietatem sectentur, sicque parentes lætificent, patriam honorent, Ecclesiam ædificent, et inter Sanctos Electosque Dei adscribi mereantur.

---

(1) Ephes. 5. 28.
(2) *Ibid.* 24.
(3) 1 Thess. 44.
(4) Matt. 19. 5.
(5) Hebr. 13. 4.

XXXVIII.

Neutri conjugum liceat ab altero, quoad habitationem, vel etiam quoad thorum, discedere, nisi ex causâ legitimâ et à nobis approbatâ aut quàm primùm approbandâ. Quoniam autem sæpè levibus ex causis, maritus ab uxore aut uxor à marito suâ sponte separantur, Pastores eos tàm seorsim quàm conjunctim admoneant talem separationem non fieri sine contumeliâ Sacramenti ipsiusque Sacramenti institutoris, Christi Domini: sic separatos, quandiù sibi invicem non reconciliabuntur, indignos esse ut Deo reconcilientur, et participes fiant Sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ est charitatis vinculum et unionis Sacramentum.

XXXIX.

Doceantur fideles, Matrimonii vinculum, quanto tempore ambo conjuges vivunt, nunquam quâcumque ex causâ, nonobstante quâcumque divortii lege, posse dissolvi: undè rectè, juxtà Apostolum, mulier vocatur adultera, si vivente viro suo, cum altero viro cohabitaverit, similiter et vir (1). Quandiù autem sic permanserint, seipsos à societate fidelium excommunicant, et longè à via salutis aberrant.

XL.

Denique doceantur fideles, Ecclesiam leges de impedimentis Matrimonii dirimentibus aut impedi-

---

(1) Rom. 7. 3.

dientibus, propter bonum societatis et Religionis sapientissimè sancivisse, atque de iis nolle dispensare, nisi ob gravissimas rationes, ex circumstantiarum naturâ et personarum dignitate petitas: eos Ecclesiam et seipsos decipere, qui, futilibus de causis et super falsis allegatis, dispensationes obtinere nituntur; testes etiam qui advocantur et de articulorum veritate interrogantur, eò strictiùs ad declarandam veritatem teneri, quòd sub fide juramenti testificantur; eosque perjuros esse, si falsum testimonium dicant.

TITULUS XII.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

Articulus I.

Admonet nos beatus Apostolus, inquit disertissimè sanctus Augustinus, ut de dormientibus, hoc est, mortuis charissimis nostris non contristemur, sicut et cæteri qui spem non habent, spem scilicet resurrectionis et incorruptionis æternæ. Nam ideò et dormientes eos appellat Scripturæ veracissima consuetudo, ut, dùm dormientes audimus, evigilaturos minimè desperemus. Contristamur qui-

dem necessitate eos amittendi, sed consolamur spe recipiendi. Indè dolet humana conditio, hinc reficit fides et sanat divina promissio.

II.

Mortuorum exequiæ, quæ in Ecclesiâ catholicâ tantâ solemnitate celebrantur, honores et officia, quæ tantâ curâ et pietate corpori mortali et corruptibili redduntur, clarè innuunt et prædicant, corruptibile hoc quondam induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem (1). Sperent ergo fideles cum firmâ fiduciâ, et vivant tanquam sperantes, huic vitæ succedere alteram, in quâ animæ superstites corporum resurrectionem exspectant, et in quâ misericors et justus Dominus unicuique reddet secundùm opera ejus (2).

III.

Sed Ecclesia catholica semper credidit et docuit, præter cœlum, ubi justi vitâ æternâ summâque beatitudine fruuntur, et infernum, ubi reprobi igne supplicioque æterno torquentur, tertium esse statum, ab istis duobus distinctum, ubi purgantur animæ fideles, quæ justitiæ divinæ pro peccatis in hâc vitâ non omninò satisfecerunt, et quibus aliquæ adhuc maculæ ex terrenis contagiis adhæserunt. Definiit eas animas piis fidelium supplicationibus, eleemosynarum erogationibus et quibuscumque bonis operibus, potis-

---

(1) 1 Cor. 15. 53. (2) Rom. 2. 6.

simùm verò acceptabili altaris Sacrificio juvari, (1) earum pænas remitti et maculas abstergi. Ideò diem solemnem Commemorationi omnium fidelium defunctorum dedicavit, atque orationes Missarumque sacrificia quotidiè pro defunctis approbat, commendat et offert.

I V.

Statim ac obierit aliquis parochianus, per campanæ sonum invitabuntur fideles, ut orent pro defuncto.

V.

Expedit ut corpus defuncti vespere et nocte, antequàm sepeliatur, ab unâ et alterâ gravi personâ aut, si fieri possit, ab uno et altero Clerico custodiatur, qui preces pro ejus animâ ad Deum fundant.

V I.

Exequiæ non celebrentur sine auctorisatione magistratûs civilis.

V I I.

Nulli Pastori liceat extraneum in parochiæ suæ cæmeterio sepelire, sine licentiâ ab illius Pastore in scriptis dandâ, cùm corpus ab unâ parochiâ in aliam transferetur.

V I I I.

In obitu parvulorum baptisatorum, ante septimum ætatis annum decedentium, tota exequiarum cæremonia nihil tristitiæ aut luctûs repræsentet, sed

(1) Trid. Sess. 25.

sanctam lætitiam exprimat. Celebrabitur Missa in eorum exequiis, non ut pro eis oretur; sed Deo optimo gratiæ agantur, quòd singulari et gratuitâ prædestinatione rapti ac inter Angelos adscripti sint, antequàm inter peccatores viverent, et malitia mutaret eorum intellectum (1).

I X.

Ordo exequiarum, officiorum et Missarum pro defunctis celebrandarum observabitur, ut in Rituali Metensi et in Brevi liturgico præscribitur.

X.

Cæmeteria sunt loca sancta, in quibus reconduntur fidelium et inter eos plurium sanctorum corpora, nunc quidem pulvis et cinis, in tristibus sepulcris squalentia; sed pretiosæ exuviæ, suis quondam animabus restituendæ, et ad gloriosam resurrectionem reservatæ. Honor religiosus eis debetur. Cæmeteria ex antiquâ consuetudine benedicuntur. In eis Crux alta erigatur et Ossuarium decenti ordine construatur: duplex christianis salutare spectaculum. De primo sic loquitur Doctor gentium: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi (2). Ad secundum spectant hæc verba Ecclesiastici: Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis (3).

---

(1) Sap. 4. 11.
(2) Gal. 6. 14.
(3) Cap. 7. 40.

X I.

Cæmeteria muro vel aliter tutò undique claudantur. Ne sint transeuntibus instar viæ publicæ: in ea non ingrediantur nec pascantur animalia. Ibi neque nundinæ, neque ludi, neque choreæ, nec aliud quid profanum et indecens toleretur.

X I I.

Servetur mos, qui in nostrâ diœcesi invaluit, ut laïcorum defunctorum corpora naturali situ, id est, pedibus domi ad januam, in Ecclesiâ ad altare conversis; Sacerdotum verò corpora opposito situ exponantur, efferantur et humentur.

X I I I.

Post sepulturam, describet Pastor in registris parochialibus defuncti nomen, cognomen, conditionem, domicilium, patriam, diem mortis et sepulturæ, ac, si corpus in aliam parochiam sepeliendum transferatur, hæc omnia cum mentione translationis describentur in registris utriusque parochiæ, et ab iis, ad quos de jure pertinet, testibus subscribentur.

X I V.

Sepultura ecclesiastica, cum cæremoniis et precibus consuetis, ne detur infidelibus, apostatis, hæreticis; iis qui sibi mortem ex deliberatâ impietate, non verò ex amentiâ et mentis alienatione consciverunt; iis qui in duello occisi sunt; peccatoribus publicis

publicis, in impenitentiâ finali mortuis; modò hi omnes casus publicam certitudinem habeant, in quibus, cùm sint in praxi admodùm difficiles, prudenter agendum est, et Episcopus, si per tempus liceat, consulendus.

X V.

Corpora fidelium exhumanda non sunt, nec in alium locum etiam sacrum transferenda, nisi ob gravissimas causas, Episcopique ac Magistratûs licentiâ.

X V I.

Infantes sine baptismo decedentes, (idem dictum esto de infidelibus) non sunt cum aliis fidelibus sepeliendi, sed sine ullâ cæremoniâ ecclesiasticâ, in extremâ aliquâ cæmeterii parte, non benedictâ, iis solis deputatâ et humiliori muro aut aliter separatâ. Aboleatur abusus illos in parentum ædibus vel hortis inhumandi.

TITULUS XIII.

DE FABRICIS SEU TEMPORALI ECCLESIARUM ADMINISTRATIONE.

Articulus I.

Institutæ sunt Fabricæ ad providendum et curandum quidquid parochiarum templa, bona mobilia et immobilia, fundationes et oblationes, necnon cultûs divini impensas spectat.

II.

Dent operam Pastores, ut ad Fabricæ administratorum munus eligantur viri probi, religiosi et temporalium negotiorum non imperiti.

III.

Apprimè norint et observari satagant decreta quæ Potestas temporalis de Fabricarum regimine sanxit.

IV.

Habeantur libri seu registri benè ordinati, in quibus omnia, quæ ad Fabricam attinent, sedulò inscribantur.

V.

Fiat inventorium seu recensio accurata Ecclesiæ

titulorum, documentorum, redituum, fundationum et suppellectilium; illudque inventorium diligenter custodiatur, et, quotiescumque opus est., renovetur.

V I.

Omnium etiam rerum æditúo concreditarum fiat recensio sub duobus exemplaribus; unum ab ipso subscriptum servetur, alterum illi tradatur.

V I I.

Singulis annis reddatur acceptorum et expensorum ratio, et in registris inscribatur, cum omnium ad quos pertinet subscriptione.

V I I I.

Bonorum Ecclesiæ adjudicationes et scamnorum locationes modo lege præscripto fiant, et Dominicâ præcedenti populi in pronao annuntientur.

I X.

In rationum redditione, bonorum adjudicatione, aut scamnorum locatione, nulla vina, ut aiunt, addantur, aut convivia instituantur, neque ulla expensa sub quocumque prætextu fiat, Fabricæ sumptibus solvenda.

X.

Nulla fundatio, qualemcumque finem habeat, admittitur, nisi Auctoritate tum spirituali cum temporali approbetur.

X I.

Catalogus Missarum et Officiorum quorumcum-

que, in Ecclesiâ fundatorum, in sacristiâ exponatur; fundationumque debita fideliter diebus præscriptis persolvantur, et Dominicâ præcedenti in pronao denuntientur.

XII.

Nullus Pastor præsumat aliquam in Missis et Officiis fundatis mutationem, reductionem aut diminutionem sine episcopali auctoritate aggredi. Hæc verò nonnisi gravissimis de causis et post maturam deliberationem interponetur.

XIII.

Pastores et Fabricarum administratores satagant ut contractus publici ante decimum quemque annum renoventur, ne jura hypothecaria perimantur.

CONCLUSIO.

Hæc nostræ Diœcesis Statuta summatim Sacerdotii et Ministerii evangelici officia sanctasque regulas complectuntur. Facilè credimus Cleri nostri plerosque nihil eorum quæ exposuimus ignorare. Omnibus verò gratum fore confidimus, hæc episcopali auctoritate confirmata ac in brevi codice collecta, ita in promptu habere, ut lex, quæ non nostra, sed Domini sanctæque Ecclesiæ lex est, sit quasi signum in manu eorum, et quasi monimentum ante oculos eorüm (1); et ea quæ præcipit sint etiam in

---

(1) Exod. 13. 9.

corde eorum, et meditentur in eis, sedentes in domo suâ, et ambulantes in itinere, dormientes atque consurgentes: (1) quâ metaphoricâ et energicâ locutione sacra Scriptura innuit, quàm præsens semper eorum memoria, quàm studiosa meditatio et assidua observatio esse debeat. Cum magno Apostolo concludimus : Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei. (2)

DECRETUM.

Itaque invocato Patre luminum, à quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum (3), præviâque et maturâ consultatione ac deliberatione habitâ cum venerabilibus nostris fratribus, Canonicis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, atque aliis doctis et prudentibus viris, quos in nostrum Consilium advocavimus; ad majorem Dei gloriam sanctæque Ecclesiæ catholicæ exaltationem; ad specialem nostræ Diœcesis ædificationem, omniumque animarum sollicitudini nostræ commissarum salutem; ad sacra Cooperatorum nostrorum Ministeria juvanda, perficiendamque totius Cleri Metensis conversationem; necnon ad muneris episcopalis debitum, quoad possumus, persolvendum; omnia et singula suprà

---

(1) Deut. 6. 7.
(2) Gal. 6. 16.
(3) Jac. 1. 17.

exposita Statuta, ad sanctorum Conciliorum apostolicarumque Traditionum normam et secundùm insignium Antecessorum nostrorum exemplar ordinata, decernimus, edimus et promulgamus; omnesque in dignitate et auctoritate constitutos, Ecclesiarum Rectores, Seminariorum Directores et Magistros, Sacerdotes, universumque nostræ diœceseos Clerum adhortamur, in Domino rogamus et obsecramus, ipsisque auctoritate episcopali præcipimus et mandamus, ut hæc Statuta, pro cujusque Ordine et officio, diligenter, studiosè et constanter observent et complectantur; necnon à suis subditis complectenda et observanda, quantùm poterunt, curent et invigilent.

Datum Metis in Palatio nostro episcopali, sub signo manuali sigilloque nostris, et Secretarii cameræ nostræ episcopalis subscriptione, atque in Synodo diœcesanâ publicatum, die decimâ nonâ aprilis, anno Domini 1820.

† G.-J. ANDREAS-JOSEPHUS,
Episcopus Metensis.

De Mandato,

MASSON, *Secretarius.*

STATUTA

SYNODALIA

DIOECESIS METENSIS,

AB ANNO 1820 AD ANNUM 1846,

IN SYNODIS DIOECESANIS PROMULGATA,

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS
DD. PAULI-GEORGII-MARIÆ DUPONT DES LOGES,
EPISCOPI METENSIS, AUCTORITATE EDITA.



METIS,

APUD COLLIGNON, DD. EPISCOPI TYPOGRAPHUM.

MDCCCXLVI.

Paulus-Georgius-Maria DUPONT DES LOGES,
Miseratione divinâ et sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ,
Episcopus Metensis,

UNIVERSO DIŒCESIS NOSTRÆ CLERO,

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN DOMINO.

Statutorum Synodalium promulgatio quantùm ad Sacerdotalis Ordinis decorem et optimum Parochiarum regimen contulerit, viginti quinque abhinc annos continuata docuit experientia. Non exiguam huic addiderunt efficaciam celebratæ quotannis Diœcesanæ Synodi, quibus id primùm effectum est, ut præcipua Ecclesiasticæ Disciplinæ capita, frequenter commendata, quasi de novo edicerentur, et, altiùs animis infixa, in omnium mores celeriùs transirent. Circà alia deindè, solutis earumdem beneficio, vel impeditis controversiis, undè leges ipsæ sæpiùs labefactantur, in servandis traditis regulis fausta ubique convaluit uniformitas. Quibusdam item præscriptis, pro circumstantiarum opportunitate, assequendo fini aptiores subrogatæ sunt Constitutiones. Plura denique, temporis decursu, ad Diœcesani juris complementum magis conducentia, collatis consiliis et studiis communibus, Episcopali auctoritate fuerunt instituta.

Hæc Nos decreta, ad elucidandam et perficiendam Clericalis vitæ pastoralisque regiminis discipli-

nam lata, et in Synodis ruralibus successivè jam publicata, omnium votis obsecundantes, prælo nondùm subjecta nunc tandem edimus, ac denuò promulgamus. Comprehendunt autem quidquid à Venerabilibus Prædecessoribus nostris, ab anno millesimo octingentesimo vigesimo, in Synodis Diœcesanis, à Nobisque, ad præsentem usque diem et in hoc Synodali Conventu, pro gloriâ Dei et Ecclesiæ Metensis utilitate sancitum est.

Pro eâ igitur quâ fungimur auctoritate, ad Episcopalis Muneris debitum persolvendum, universum Diœcesis nostræ Clerum adhortamur, in Domino rogamus et obsecramus, omnibusque et singulis nostræ jurisdictioni subditis præcipimus et mandamus, ut hæc Statuta, pro uniuscujusque Ordine et Officio, diligenter, studiosè et constanter observent et complectantur, necnon à suis subditis complectenda et observanda, quantùm poterunt, curent et invigilent.

Datum Metis, in Palatio nostro Episcopali, sub signo manuali sigilloque nostris, ac Secretarii generalis Episcopatûs nostri subscriptione, atque in Synodo Diœcesanâ publicatum, die vigesimâ nonâ mensis Aprilis, anno Domini millesimo octingentesimo quadragesimo sexto.

† PAULUS, *Episcopus Metensis.*

De Mandato Ill. et Rev. DD. Episcopi,

THOMAS, Can. hon. Sec. gen.

STATUTA SYNODALIA

DIŒCESIS METENSIS.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. I STATUTORUM SYNODALIUM,

De Fide et Doctrina Religionis Catholicæ.

I.

Pastores extraneum Sacerdotem concionari non permittant, nisi, præter exhibitam sui proprii Episcopi approbationem, à Nobis eo munere fungendi licentiam obtinuerit.

SYN. DIŒCES. *anni* 1841.

II.

Dominicis diebus singulis, et, ubi Sacerdotes binandi onere impediuntur, alternis, per novem anni menses, Catecheses habeantur, quibus christiana juventus et pueri, integro ad minimum biennio, ante suam primam communionem Catholicâ imbuan-

---

N. B. Hæc Statuta distributa sunt secundùm Titulorum et Articulorum ordinem Statutorum anno 1820 promulgatorum, ut cum his faciliùs conferantur.

tur Doctrinâ. Ad tanti prætereà momenti actionem, quatuor saltem mensium intervallo, frequentioribus adhortationibus, bis vel ter intrà hebdomadam, immediatè disponantur.

SYN. DIOECES. 1834.

III.

Solliciti invigilent Ecclesiarum quocumque titulo Rectores christianæ puerorum in scholis educationi. Quem ad finem assequendum, et Pastoralis officii sui jura, si quæ occurrant hostiles insidiæ, lædi non patiantur, et sedulò exerceant ea quæ lex civilis ipsis attribuit. Igitur à cœtibus non absint eorum qui scholis inspectandis præficiuntur. Scholas sæpissimè visitent; quidquid in iis peragitur inspiciant attentè, ut nihil à recto tramite deflectat teneram juventutis indolem.

Præcipuam impendant curam in libris examinandis: nec alumnorum manibus versari sinant eos qui de Religione ex professo tractantes, et à laicis minùs cautè compositi, aut Catholicam Doctrinam, ut est pueris tradenda, non integrè complectuntur, aut ab Ecclesiæ auctoritate non sunt approbati. Caveant pariter ne morum puritas et Fides periculum incurrant ex malè forsitàn selectis libris quibus litterarum et humanæ scientiæ rudimenta docentur. Hos castigatioribus supplere oportebit. Quod malum si per se non valeant avertere, ipsis adjutorio erimus.

SYNOD. DIOECES. 1836, 1837.

IV.

Partis germanicæ Rectores sincerè confoveant ubique gallicæ linguæ studium; sed non ità imprudenter, ut pueri ne legere quidem doceantur in vernaculo idiomate. Nisi etenim Catechismum et Religionis elementa lectionis ope discere queant, et in memoriam revocare eo idiomate, quo solo velut instrumento Evangelicam doctrinam satis erudiri et sufficienter intelligere possunt, in lugendam citò et non sanabilem ruent ignorantiam.

Quibus infelicibus et, experientiâ jam teste, improvidis incœptis ut obstemus, ac ne Religio ipsa in discrimen veniat, statuimus ad primam communionem non esse admittendos deinceps pueros qui, licet scholam frequentârint, germanicè legere nesciunt, ubicumque germanicâ linguâ in Ecclesiis doctrina christiana tradi debet à Pastoribus.

SYNOD. DIOECES. 1841, 1843, 1846.

V.

Auctoritate et consiliis efficiant, quantùm penès eos est, ut scholæ non intermittantur æstivo tempore, et sic pueri magis proficiant.

SYNOD. DIOECES. 1839.

VI.

Missæ privatæ et fundatæ, ante vel post assignatas scholis horas celebrentur, ut, studiis non interruptis, pius et utilis servari possit usus pueros, sæ-

piùs per hebdomadam, ducendi in Ecclesiam ad Sacrum audiendum.

SYNOD. DIŒCES. 1844.

VII.

Non recedatur, Nobis inconsultis, ab antiquâ et laudabili consuetudine quâ, in ruralibus Parochiis, Institutoribus, si viri boni nominis sint, ut oportet, et religiosis moribus conspicui, officium Cantoris Æditui committitur.

SYNOD. DIŒCES. 1844.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. II STATUTORUM SYNODALIUM,

De Divino Officio ac de diebus Dominicis et Festis.

VIII.

Sacrorum Rituum uniformitas præcipitur in celebrandis Divinis Officiis. Ad eam stabiliendam regulam, cæremonias, si quas existere contingat præter Liturgicorum Diœceseos librorum Statutorumque synodalium præscripta, et quoscumque Ritus privatâ devotione invectos, tanquàm abusus, aut abusibus ansam præbentes, improbamus atque interdicimus.

SYNOD. DIŒCES. 1834.

IX.

Nullus laicus, sine præviâ Episcopali approbatione pro unâquâque Ecclesiâ, Cantoris aut Æditui munus obeat. Is tantùm approbabitur, qui Rectoris parochiæ, in quâ exercere postulat, exhibuerit testimonium simul ab Archipresbytero subscriptum et confirmatum. Ne faciles nimiùm sint, ad quos attinet, in ejusmodi testimoniis concedendis; nec ea conficiant nisi ex diligenter pensatis indiciis.

Si quis in accepto munere ità se gerat ut destitui mereatur, parochiæ Rector Archipresbytero rem denuntiabit, qui, omnibus seriò perpensis, causam ad nos deferet.

SYNOD. DIOECES. 1821 *et seq. pluriès.*

X.

Dominicis Festisque diebus, parochiale Officium statis matutinis et vespertinis horis celebrari debet, nisi aliquam mutationem publica parochiæ ipsius utilitas exigat, aut Episcopale mandatum. Errant igitur Ecclesiarum Rectores qui sibi licitum putant, sive ex honestâ arbitrio suo quæsitâ causâ, sive ad vicinum Sacerdotem validum in solemniori Festo adjuvandum, ordinem semel introductum intervertere.

SYNOD. DIOECES. 1827, 1838.

XI.

In Parochiis ubi duplex officium per binationem celebratur, à Festo Omnium Sanctorum ad Domi-

nicam primam mensis Aprilis, prima Missa non incipiat antè horam sesqui-octavam, nec, anni cursu reliquo, antè horam octavam.

His prætereà, quoad annexas Ecclesias, sacri Ministerii functionibus adstricti sunt Pastores :

Vesperis tenentur præesse Festorum, quibus solemnis fit Expositio SS. Sacramenti. Dominicis autem atque aliis Festis diebus, poterunt committere officium vespertinum Cantoribus Æditui, qui, convocatis de more fidelibus, cantabunt psalmos, hymnum, B. M. V. canticum, cum antiphonis propriis, sine oratione, et omissis commemorationibus occurrentibus.

Ipsis munus incumbit, iisdem in Ecclesiis, fidelibus administrandi Sacramenta omnia, defunctorum exequias, solemnes obituum Missas et anniversaria celebrandi; ac insuper, quod onerosius est nec tamen prætereundum, utriusque sexûs pueros catechizandi, ad primam communionem disponendi atque admittendi.

Rectoribus pro binationis onere debetur reditus annuus, cujus summa usu generatim in vim juris recepto, et, ubi opus est, Episcopali definitione constituitur. Sed adventitiæ secundùm legem canonicam retributiones eædem sunt ac in parochialibus Ecclesiis, ultrà quas itineris prætextu nihil à fidelibus licet exigere.

Synod. Dioeces. 1840.

XII.

Præcipimus ut saltem Dominicâ primâ cujusque mensis Pastor, adstantibus fidelibus, antè Missam parochialem faciat benedictionem aquæ. Feriâ sequente, renovabitur aqua in crateribus accuratè mundatis ab Ædituo; et vetus aqua in Sacrarii piscinam effundetur. Quod pari modo et ordine in annexis Ecclesiis observabitur quâlibet saltem Dominicâ secundâ.

Synod. Dioeces. 1838.

XIII.

Prædicandi studio et muneri satisfecisse haudquaquàm existiment ii, qui commissam sibi plebem perfunctoriè et sine certâ methodo, aut præcepta tantùm moralia edocent. Fidei potissimùm principia et dogmata adultis ipsis exponenda sunt, argumentisque eorum captui accommodatis comprobanda. Iidem contrà grassantes errores quibus agitati deprehenduntur iterùm atque iterùm obfirmandi. Fuit hæc SS. Patrum docendi ratio; quâ si parochiarum Rectores sagaciter uterentur, non tot animarum jacturam defleremus. *Justus* enim *meus*, ait Spiritus Sanctus, *ex fide vivit: et qui credit Domino, attendit mandatis* (1). Sed qui non habent firmâ Fide illuminatos oculos cordis, instabiles in multa feruntur peccata, et obdormiunt in morte.

---

(1) Hebr. 10. 18. Eccli. 32. 28.

Ex sanctis igitur Fidei dogmatibus profluunt tùm motiva tùm necessaria sanctio Divinæ Legis, quæ vividiùs adhuc auditorum mentes percellerent, suaviùs pectora demulcerent, si certo ordine, si methodicâ sermonum dispositione explanarentur. Tam optabilem scopum attingere satagant Pastores quos zelus animarum comedit et urget Christi charitas. Cursum quemdam, tribus complexum annis, conficiant in Symbolum, in septem Sacramenta, in Dei et Ecclesiæ præcepta. Orationes ità semel concinnatas, quoties deinceps habendæ erunt, novâ et facili operâ aptiores reddent, atque, experientiâ duce, oves suas in gratiora et magis proficua pascua deducent.

SYNOD. DIŒCES. 1834.

XIV.

In Ecclesiis colloquia non habeantur inter duos Sacerdotes, seu is non adhibeatur docendi modus quo unus è suggestu vulgares ab alio difficultates objectas refellit, ut, ad audientium intelligentiam quasi temperatâ controversiâ fideles adjuti, perfectiùs, quod perperàm opinantur, Doctrinam Catholicam ediscant.

SYNOD. DIŒCES. 1829.

XV.

Fidibus et Tibiis canentes, aut alii ejusdem generis, nunquàm admittantur in Ecclesiâ, ut cum musicis instrumentis Divino se Cultui immisceant.

SYNOD. DIŒCES. 1826.

XVI.

Quadragesimale tempus, *tempus* est *acceptabile;* dies illi, *dies* sunt *salutis.* Ut Pastores dominicum agrum uberioribus gratiarum fluentis suâ irrigent cooperatione, fideles ad serotinas preces convocatos, quotidiè aut sæpiùs per hebdomadam, de veræ conversionis ac de salutaribus pœnitentiæ fructibus cum brevitate et facilitate sermonis alloquantur. Quo tempore, sed non nisi præviâ ejusmodi concione, dabitur benedictio SS. Sacramenti cum Ciborio, ut hucusque moris fuit.

SYNOD. DIOECES. 1834.

XVII.

Magnoperè exoptamus ut Ecclesiarum Rectores instituant preces serotinas omnibus per annum Dominicis. Quâ institutione rudiores quotidianarum precum ordinem ediscent et memoriâ retinebunt; assuescent piæ familiæ unanimes simul orare; cœtus in noctem producti cum plurimâ omnium offensione, et periculis adhuc pleniores juventutis sexûs utriusque coadunationes impedientur, aut discindentur celeriùs, in multorum utilitatem.

SYNOD. DIOECES. 1827.

XVIII.

Puellarum curâ et zelo vestibus indutas Beatissimæ Mariæ Virginis Imagines, Altaribus sub ejus

patrocinio dicatis superpositas, constat in omnibus ferè Ecclesiis, ubi mos ille viget adhuc, pluribus occasionem dare abusibus, ad quos resecandos statuimus sequentia:

Ad hujus honorem officii Pastores ipsimet eligent ordine præfixo puellas maturæ ætatis, quæ, pietate et castis moribus conspicuæ, juniorum sint exemplum.

Oblationes ab iisdem collectas arcula in Ecclesiâ appensa, clavibus obserata, recipiet. Nullæ fient expensæ, Pastoribus inconsultis, aut contrà ipsorum directionem. Convenientissimè ornatis, juxtà piorum Offerentium mentem, B. M. V. Imagine et Altari, quæ supererunt in communes Ecclesiæ sumptus impendentur.

Studio et operâ Pastorum ex acquisitis anteà ornamentis rejicientur, quæcumque Domum Dei parùm decent, genuinos Catholicæ Fidei sensus non satis exprimunt, aut minùs apta videntur ad sanctissimæ Dei Genitricis cultum promovendum.

Tandem ea ornamenta in presbyteralibus ædibus non deponentur.

Synod. Dioeces. 1840.

XIX.

Nullæ Reliquiæ in Ecclesiis publicæ fidelium venerationi exponantur, nisi sint authenticæ. Quæ conditio exigit, ut ab aliquo Catholico Episcopo recognitæ, in capsâ ejusdem Episcopi sigillis integris occludantur.

Si quæ veteres Reliquiæ, jam à diuturno tempore in iisdem Ecclesiis expositæ, quasdam, licet dubias, exhibeant authenticitatis notas, in decenti loco recondentur, usque dùm Nostro fuerint examini subjectæ.

Novas et aliundè obtentas Reliquias exponere prohibemus, sine Nostro aut Prædecessorum nostrorum Decreto.

Pastores incertas Reliquias, et quarum cultus temporum injuriâ et hominum negligentiâ non poterit à Nobis approbari, reverenter sub Altaribus deponent in arcâ seu pixide clausâ, cum scripto documento causam et diem depositi referente.

SYNOD. DIŒCES. 1837.

XX.

Suprà Sanctorum Reliquias, Catholica Ecclesia veneratur pretiosum Dominicæ Crucis Lignum. In parochiis, quæ gloriosi hujus Instrumenti salutis nostræ particulâ ditantur, hic erit Ritus solemnis ejus Expositionis:

Reliquiarium, quod formam Crucis habere convenit, intrà Missam, in Altaris gradibus ad dexteram Tabernaculi, inter duos cereos accensos, ponetur; post Missam verò, et intrà alia Officia, super mediam Altaris mensam. Cantabitur pro benedictione Hymnus *Vexilla Regis, etc.* Dùm Chorus cecinet Strophen *O Crux ave*, Sacerdos benedicet populum cum Reliquiario, signum crucis

silenter producens. Non utetur velo, ut in benedictione SS. Sacramenti. Incensabit trino ductu sacram particulam antè et post benedictionem.

SYNOD. DIOECES. 1842.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. III STATUTORUM SYNODALIUM,

De Sacrosancto Missæ sacrificio.

XXI.

Ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium, Sacerdotis et Ministrorum Altari assistentium ornamenta confecta sint ex pannis sericis, aut ex texturis argenteis vel aureis. Lanea, et ex gossipio quâcumque etiam arte contexta, interdicuntur.

Albæ, Cingula, Amictus confici debent ex cannabi aut lini telâ subtenui. Recenter cum alterius materiæ telâ composita prohibentur, iisque uti non ampliùs licet.

Corporalia, Pallæ, Purificatoria sint ex cannabi aut lini telâ tenuissimæ texturæ, pressis staminibus. Prorsùs interdicuntur alia ex gossipio confecta quantumvis tenui.

Interdicuntur similiter Altarium Mappæ ex gossipio, et quælibet linteamina ad Eucharistiæ admi–

nistrationem inservientia, nisi, ut Albæ, Cingula et Amictus, antè annum 1837 confecta fuerint.

SYNOD. DIŒCES. 1837.

XXII.

Hoc in votis habeant qui curam gerunt Ecclesiarum, ac in id suam impendant operam dignis Fidei sensibus ducti, ut antè pretiosioris cujusvis ornamenti et splendidioris Altarium supellectilis expensas, Vasa sacra, Calices, Ciboria et Ostensoria sint tota saltem argentea.

Interdicuntur Ostensoria stannea. Ænea sint ad minimum inargentata; eorum pars interior sit bracteâ argenti inaurati obducta, ubi sacrosancta Eucharistia exponitur ope simplicis lunulæ, quæ ipsa debet esse argentea et auro circumlita. Expositionis autem hostia, si eam Ostensorio extrahere oporteat, in pixide argenteâ, intùs inauratâ, non verò in Ciborio, cum lunulâ recondatur.

De cœtero, Calicum et Ciboriorum cuppæ, Patenæ, Pixides ad asservandum SS. Sacramentum, sint ex argento confectæ, et interiùs inauratæ; Ostensoria cum lunulis sint, ut modò dictum, disposita, aut lunulis substituantur orbiculi ejusdem materiæ duplici crystallo muniti. Quæ si præscriptæ conditiones deficiant, Vasa illa subjiciuntur interdicto.

SYNOD. DIŒCES. 1840, 1844, 1846.

XXIII.

Dùm Missa celebratur, et intrà alia divina Officia, in Altaribus ardeant tantùm candelæ cerâ albâ confectæ. Alterius compositionis cerei, et quorum materia sebum est arte chimicâ partibus adipis crassioribus purgatum, omninò prohibentur.

SYNOD. DIOECES. 1841.

XXIV.

Nullus Sacerdos, nostræ jurisdictioni subjectus, in quâcumque Diœcesis hujus Ecclesiâ, Sacello aut Oratorio Missam celebrare præsumat, nisi veste suâ talari indutus.

SYNOD. DIOECES. 1824.

XXV.

Sacerdotis Missam celebrantis Tonsura sit conspicua omnibus. Fictitiâ comâ seu capillitio non tegatur ejus caput, quin intercesserit nostra dispensatio. Sint manus ejus nudæ, et ab iis etiam chirotecis, quæ digitos extremos non involvunt, liberæ.

Nemini, quantumvis infirmâ valetudine, clericalis Pileolus ad Altare indulgetur.

His adstringuntur regulis Sacerdoti assistentes Ministri.

SYNOD. DIOECES. 1845.

XXVI.

Nullus Sacerdos extraneus celebret Missam in

Urbe Episcopali absque nostrâ licentiâ scriptis datâ. Si tamen perfectè sit notus Pastori, aut alteri Præposito ad quem accedit, primâ vel ad summum secundâ die post adventum, in propriâ hujus Ecclesiâ, ad Missæ celebrationem, sine acceptâ à Nobis licentiâ, poterit admitti.

Extrà Urbem, non permittatur ab Ecclesiarum Rectoribus extraneo Sacerdoti Missam celebrare per transitum, nisi Litteras testimoniales recentes et authenticas exhibeat, nec ultrà mensem, Nobis inconsultis.

Synod. Dioeces. 1841, 1846.

XXVII.

Modus est ponendus Missis cum Expositione SS. Sacramenti fundatis, ne, nimiùm frequentes, vergant in pietatis detrimentum. Quæ justum non excedent numerum et simul convenientiori erunt ordine distributæ, si deinceps semel in hebdomadâ, singulis tantùm feriis quintis, celebrentur. Præsentis igitur virtute Statuti, fundatæ hucusque hujusmodi Missæ in proximam feriam quintam translatæ censeantur, eidemque feriæ maneant affixæ, nisi novo Episcopali Decreto, quibusdam in Ecclesiis, propter urgentes causas aliter sancitum fuerit. Hunc sequentur ordinem fundationes cum SS. Sacramenti Expositione in posterum approbandæ.

Expositiones occasione fundati alicujus obitûs

institutæ, et speciali clausulâ in Dominicam translatæ, abrogantur.

Synod. Dioeces. 1840, 1844.

XXVIII.

Errant Parochiarum Rectores qui, præjudicatis quorumdam opinionibus morem gerentes, sibi et Fabricarum Administratoribus potestatem asserunt, contrà legem canonicam, sine Episcopi auctoritate, pecunias à Fidelibus accipiendi cum onere Ecclesiis imposito quotannis in perpetuum celebrandorum obituum; nec, civilibus legibus neglectis, ullâ satis tutâ viâ Ecclesiarum jus stabiliunt in possidendis et repetendis istis pecuniis. Hinc, uti jam sæpiùs experientia docuit, non longo semper elapso tempore, periclitantur primùm reditus, mox sors ipsa perit, denique ruit obligatio in perpetuum contracta ab iis ad quos non attinebat; et ipsimet temerariâ hâc agendi ratione violatæ charitatis et læsæ justitiæ se reos constituunt.

Nos, ad tam gravem, ubicumque invaluit, eradicandum abusum, omnibus qui Ecclesiis præficiuntur Sacerdotibus præcipimus in Domino, ut ab ejusmodi pecuniarum acceptionibus cum Obituum onere, Nobis inconsultis, abstineant, iisque, ubi opus erit, resistant; ut sic præter rectum institutas Missas non celebrent; ac demùm ut omni ope et operâ nitantur commissos in his negotiis à se, aut assensu suo, vel à prædecessoribus errores, ad canonum et justitiæ normam, corrigere.

Synod. Dioeces. 1839.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. IV STATUTORUM SYNODALIUM,

De Sacramentis in genere.

XXIX.

S. Chrismatis et Sanctorum Oleorum vascula maximè convenit esse argentea.

Ampulla Olei Infirmorum non sit in eâdem cum duabus aliis communi pixide, aut sub unius basis et unius operculi involucro conclusa; sed in thecâ decentissimâ, saltem ligneâ, recondatur.

Olei Infirmorum vasculo non adhæreat pixidula quâ, loco Ciborii, S. Viaticum quandoque defertur ad ægrotos. Hæc vasorum coadunatio dedecet, et prorsùs interdicitur.

SYNOD. DIOECES. 1838.

XXX.

Dùm Sacramenta sunt administranda, sive quibuslibet aliis in circumstantiis, nec cantoribus æditiuis concredantur Sanctorum Oleorum vasa, nec in alterius laici manus ferenda tradantur.

SYN. DIOECES. 1834.

XXXI.

Pro sacri Ministerii functionibus nihil unquàm

exigatur ultrà oblationes diœcesanis approbatis usibus assignatas. Quæ ut controversiis non præbeant occasionem, visum est opportunum omnem ad eas vindicandas jurium ambiguitatem rescindere.

Et quidem jus strictum habet unusquisque ad integrum Missæ quam celebrat honorarium, nisi sit Vicarius, et in eâ functione vicem Pastoris impleat, qui tunc ei privatæ tantùm Missæ debet stipendium. Ubi tamen plures solemnes Missæ celebrantur eodem die, inter Pastorem et Vicarium distributæ, paria sunt Vicarii et alterius cujuscumque advocati Sacerdotis jura.

Missæ solemnis seu cantatæ retributio est trium francorum; privatæ verò honorarium est unius franci. Quidquid excedit, et ratione solemnioris officii aliâve causâ jure percipitur, ad Parochum aut Ecclesiæ Rectorem attinet, cujus item solius sunt et quæ Pastoralis sui muneris functionibus quibuslibet, à se vel ab alio peractis, canonicâ lege attribuuntur emolumenta, et quæ pro his à Fidelibus spontè offeruntur.

Fructus tandem assistentiæ funerum exequiis et cæremoniis fundatis, et Diaconi aut Subdiaconi muniis obvenientes, proprii sunt assistentium aut ejusmodi munia vel similia exercentium.

Synod. Diœces. 1842.

XXXII.

Ad conficiendos actus qui in parochialibus Libris

inserendi sunt, adhibeantur Ritualis formulæ. Diversas ab his, ut multa vitentur incommoda, prorsùs interdicimus.

SYNOD. DIOECES. 1824.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. V STATUTORUM SYNODALIUM,

De Sacramento Baptismi.

XXXIII.

In Ecclesiis ubi Baptisterium à Navi sejunctum non existit, Fons sacer cratitio circumdetur sepimento.

Labrum aquæ baptismalis ex stanno, aut ex ære stanno illito, sive marmore confectum, et metalli operculo clausum, super tripede fulcro deponatur in lapideâ structurâ excavatâ, secundo operculo et tapete contectâ. Lapis sit trans basim perfossus in piscinæ usum, et ejus excavatio ultrà Labrum pateat ad aquæ facilius effluvium.

Decentior esset et baptismatis administrationi magis accommodata Fontis sacri dispositio, si lapidis excavatio liberam haberet partem, quam insuper infans baptizaretur, aut si labrum, ad eumdem finem in duos crateres divisum, unum exhiberet vacuum in imo pertusum, ità ut è baptizati capite sanctæ ablu-

tionis unda in piscinam manaret. Hanc aptiorem dispositionem præcipimus pro sacris Fontibus in posterùm construendis.

Juxtà Fontem sacrum, in armariolo diligenter observentur sanctum Chrisma, Oleum Catechumenorum, conchula, et alia Baptismati ritè administrando necessaria.

SYNOD. DIOECES. 1838, 1844.

XXXIV.

Infans, si præsenti mortis periculo subjaceat, domi baptizetur sine cæremoniis à Sacerdote, quotiès id condecenter fieri potest.

Quo unicè excepto necessitatis casu, Baptismus cum præscriptis ritibus solemniter in Baptisterio tantùm aut in Ecclesiâ, non alibi, conferatur. Ab eâ regulâ nullus, alioquin ecclesiasticis pœnis plectendus, audeat recedere.

Cæremonias sacras à Baptismate separandi nunquàm concedetur licentia.

SYNOD. DIOECES. 1841.

XXXV.

Infantes spurii iisdem horâ, ordine, loco, iisdemque ritibus baptizentur ac legitimo matrimonio nati, solâ campanarum omissâ pulsatione, ubi moris est à Fidelibus recepti.

SYNOD. DIOECES. 1836, 1845.

XXXVI.

Non semper arcendi sunt à munere susceptorum in Baptismate, tanquàm peccatores publici, qui, his infaustis temporibus, communionis paschalis non satisfaciunt præcepto. Pius et prudens Sacerdos, qui zelum habet secundùm scientiam, personarum locorumque pensabit adjuncta; tales, utpotè infirmos in fide assumendos, opportunâ datâ hâc occasione, in mansuetudine sapientiæ arguet, obsecrabit; nec eos repellet nisi id expostulaverit commissi sibi gregis ædificatio.

SYN. DIOECES. 1823.

XXXVII.

Prohibemus omninò ne Sacerdotes et Clerici sacris Ordinibus initiati patrinorum officium obeant, nisi certis gravibusque de causis à Nobis licentiam in scriptis obtinuerint.

SYNOD. DIOECES. 1828.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. VII STATUTORUM SYNODALIUM,

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

XXXVIII.

Qui, post elapsum tempus paschale, tactus poe-

nitentiâ, Communionis annuæ præceptum vult adimplere, eum Confessarius ad Eucharistiam in suâ parochiâ recipiendam hortabitur, si prudentia suggesserit, non autem adstringet.

SYN. DIOECES. 1822.

XXXIX.

Ad primam Communionem admittentur pueri duodecennes. Compertum est, antè eam expletam ætatem, pueros nec satis plerumque christianâ doctrinâ esse imbutos, nec sufficientem attingere discretionem, ut sacrosanctæ Eucharistiæ cum eo, quem Pastores maximè exoptare et omni zelo præparare debent, fructu initientur. Et quia citò frequentes exceptiones infirmarent hanc ætatis disciplinam, aut nulla dispensatio postuletur, aut nisi trium seu quatuor mensium. Eum limitem non transgrediantur in suis petitis Ecclesiarum Rectores.

Neque tamen ultrà decimum quartum annum tanti momenti actio differatur. Causæ dilationis sint puerorum propriæ, ex eorum scientiâ, dispositionibus, indole, non verò ex parentum indignitate; licet, qui domesticum patiuntur scandalum, in doctrinâ et virtute exercitatiores oporteat esse, et ii pastorali sollicitudine magis indigeant.

SYN. DIOECES. 1839.

XL.

Disponantur in singulos annos ad primam Com-

munionem pueri et admittantur, ubicumque duodecim quotannis præscriptam ætatem áttingunt. Pastorale hoc munus, aliis in locis quibuslibet, etiamsi minor sit forsan recipiendorum numerus, adimpleatur annis alternis; quod temporis spatium nunquàm licitum est excedere.

Pia illa cæremonia, et parentibus et omnibus parochiæ fidelibus, ut ipsismet pueris, proficua, post SS. Trinitatis festum, et si possibile sit, vertente autumno celebrabitur.

SYNOD. DIŒCES. 1839.

XLI.

Ritibus pro hâc solemnitate in Statutis Synodalibus insertis addetur, post renovata vota Baptismi, Beatissimæ Mariæ Virgini consecratio. Sumentur è Catechismo actus eliciendi ante et post communionem. Formulæ renovationis votorum Baptismi et dictæ consecrationis, nostræ approbationi subjicientur.

SYNOD. DIŒCES. 1835.

XLII.

Ecclesiarum Rectores puerum extraneæ parochiæ, monito tamen proprio Pastore, ad primam communionem poterunt admittere, si puer, bonâ parentum fide, laudabili causâ, quatuor saltem abhinc menses in eorum parochiâ commoratus fuerit, atque hunc, seriò priùs circà Catechismi litteram et intelligentiam examinatum, eodem temporis intervallo, ut jubentur, ad eam sanctissimam actionem disposuerint.

SYNOD. DIŒCES. 1841.

XLIII.

Secundùm venerabilem totius orbis Catholici consuetudinem, et ubique vigentem legem canonicam, ante Tabernaculum in quo sacrosancta Eucharistia servatur, lampas è Laqueari suspensa semper ardeat; neque deinceps tanquàm obstaculum prætendatur Ecclesiæ alicujus paupertas. Quòd si dispensationes adhuc quædam erunt concedendæ, pro nocte, non interdiù, et ad breve tempus eæ concedentur.

Synod. Diœces. 1842.

XLIV.

In omnibus Diœceseos Parochiis, ubicumque lex civilis non resistit, in cunctis pagis in quibus Ecclesiæ sitæ sunt, S. Viaticum per diem publicè deferatur ad infirmos. Sacerdoti districtè inhibetur Eucharistiam unquàm è Tabernaculo promere et deferre, nisi albâ aut superpelliceo et stolâ sit indutus. Cùm igitur, propter legis civilis impedimenta, seu viculorum et prædiorum distantiam, S. Viaticum secretò erit deferendum, pallio se operiet, ad eum finem, fabricarum sumptibus suppeditato; cæteraque jam Statutis Synodalibus præcepta sedulus observabit.

Diœces. 1841, 1844.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. VIII STATUTORUM SYNODALIUM,

De Sacramento Pœnitentiæ.

XLV.

Sacerdotes, dùm annuo subjecti sunt examini, non approbantur ad excipiendas confessiones sororum sanctæ Christianæ, sororum Providentiæ, puellarum Charitatis in Diœcesi commorantium, et aliarum sororum ex Congregationibus Diœcesi extraneis, quæ in hâc tamen Diœcesi puellis educandis aut pauperibus et infirmis sublevandis, Superiorum permissu, devoventur.

Syn. Diœces. 1820, 1837.

XLVI.

Dominicâ primâ Quadragesimæ et Dominicâ Passionis, post lectum è suggestu canonem *Omnis utriusque sexûs fidelis*, ut est in Rituali translatus, qui regimini Ecclesiarum quolibet titulo præponuntur annuntiabunt, omnibus sibi commissis fidelibus, absque sexûs, ætatis aut conditionis ullâ exceptione, permissum esse, pro confessione paschali, quemcum-

que in Diœcesi approbatum adire Sacerdotem. Quod si monitum alicubi fortè omissum fuerit, præsenti Statuto et pleno jure concessa licentia censebitur.

Scriptis proindè et individuatìm concedendæ in posterum permissiones interdicuntur.

Sublatâ itaque, ad gravia tollenda incommoda, temporis restrictione è diœcesanis usibus, nullus Episcopalis Mandati et obedientiæ huic debitæ immemor, aut, privato abreptus sensu, malè obsequens regulæ cui totius orbis Christiani suffragatur consuetudo, plebis sibi concreditæ, quovis colorato prætextu, libertatem eligendi inter approbatos confessarium impediet; alioquin, jam non sapiens ad sobrietatem, asserente Doctore Angelico, *peccaret et multis damnationis laqueum injiceret*. A cujus delicti participatione haud eximerentur ii vicinarum Parochiarum Rectores qui temerè contrà eamdem regulam opinantes, indebito metu contristandi fratris, seu tacitâ conventione, fideles repellerent quos ex officio et justitiâ audire non tenentur.

Syn. Diœces. 1845.

XLVII.

Omnes Ecclesiæ habeant confessariorum sedes, pro numero Sacerdotum ipsis adscriptorum, non in Choro, sed in Navi, loco omnibus patente, dispositas; et unam aliam sedem, aut si spatium deficiat, motabile tabulamentum cum apertiunculâ benè cancellatâ, ad surdorum confessionem, in Sacristiâ.

Mulierum confessiones, extrà sacrum pœnitentiæ Tribunal in Ecclesiæ navi dispositum, audire prorsùs est illicitum, nisi surdæ sint aut ægrâ valetudine laborantes. Surdæ audiri poterunt in Sacristiâ, ostio aperto, non tamen extrà confessarii sedem quæ ibidem esse præscribitur. Ægrotantes et infirmæ domo cohibitæ, cum eâ, quam prudentia exigit, cautione, in suis domibus audientur.

Nulli unquàm Sacerdoti, propriæ valetudinis aut commodi causâ, mulierum confessiones extrà Ecclesiam permittitur excipere. Si quis autem, spretâ hâc inhibitione, in pastoralibus ædibus, aut in aliâ privatâ domo, propriæ valetudinis aut commodi, vel etiam pœnitentium utilitatis prætextu, ejusmodi confessiones audierit, ipso facto in suspensionem ab ordine et officio Nobis reservatam incidet.

Syn. Diœces. 1836, 1843, 1846.

XLVIII.

Ecclesiarum Rectores poterunt, tempore paschali, pro suâ prudentiâ, unum et alterum è vicinis Sacerdotibus advocare, ad fidelium confessiones, statis cujuslibet hebdomadis diebus. Sed omninò inhibetur ne plures eo fine conveniant ut omnium ejusdem Parochiæ fidelium confessiones, paucorum dierum spatio, præcipitanter expediant.

Syn. Diœces. 1829.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. X STATUTORUM SYNODALIUM,

De Sacramento Ordinis.

XLIX.

In Parochorum et Rectorum installatione ne quid præscriptis ritibus derogetur, aut sub obtentu consuetudinis addatur. Extrà Ecclesiam, ordinatâ obviàm processione, non recipientur; neque fiet Sanctissimæ Eucharistiæ, uti quandoque contigit, solemnis expositio.

Synod. Dioeces. 1828.

L.

Archipresbyteri quotannis, post acceptum speciale mandatum, et præmonitis anteà Pastoribus, nisi aliud magis expedire Nobis visum fuerit, tertiam partem Ecclesiarum sui Districtûs visitabunt. Quo in explendo munere vigiles erunt præpositi; traditas alibi prudentiæ, maturi examinis, ac, quoties opus erit, fraternæ correptionis sequentur regulas. Relationem suæ visitationis, statim ad Nos mittendam, sedulò, nullâ prætermissâ quæstione, conficient.

Synod. Dioeces. 1823, 1827, 1840.

LI.

Quoniam non solùm malum cavere, verùm etiam omnem mali suspicionem fugere oportet, atque omninò decet ut in presbyteralibus ædibus nemini commoranti aut advenienti scandalum præbeatur et periculum, feminas quovis cognationis aut affinitatis vinculo Sacerdotibus conjunctas, si triginta annis juniores sint, in eorum domicilio habitare, nisi, deliberatâ priùs in Concilio nostro Episcopali personarum conditione, specialis nostra licentia interveniat, sub interdicti comminatione prohibemus.

Item, quod famulas pro re domesticâ gerendâ spectat, dispensationes deinceps concedendas Nobis, in eodem Concilio pronuntiantibus, post inspectas Archipresbyteri testimoniales litteras, et visum authenticum ætatis instrumentum, reservamus. Qui autem famulam quadraginta annis minorem sine præviâ dispensatione, etiam cum intentione ejusmodi dispensationem illicò et sine ullâ affectatâ morâ efflagitandi, in ædes suas receperint, ipso facto in suspensionem ab ordine et officio Nobis reservatam incident, cæteris Art. xx, C. iv, Tit. x Statutorum Synodalium præscriptis suum vigorem retinentibus.

Synod. Dioeces. 1834.

LII.

Nullam quadraginta annis inferiorem in quotidianum aut frequens famulæ adjumentum mulie-

rem adhibeant. Si quam ejusmodi operariam, cui ætas canonica desit, quindecim continuis diebus, non obtentâ dispensatione, vel ad diurnos tantùm labores in suis domibus habuerint, sciant se in eamdem ipso facto suspensionis pœnam esse incursuros.

SYNOD. DIOECES. 1840, 1844.

LIII.

Dispensationes in favorem juniorum sororum aut neptium, et eæ quæ famulas spectant, ad tempus concessæ, desinunt ultimo mensis Decembris die, et ejusdem mensis decursu, per Archipresbyteros à Nobis hujusmodi dispensationum renovatio, aliter non concedenda, postulabitur. Si ex inculpabili eorum oblivione quorum interest, præfinito tempore non fuerint renovatæ, poterunt eas Archipresbyteri ad quindecim dies protendere.

SYNOD. DIOECES. 1836.

LIV.

Quia ex plurium, etiam commendabilis vitæ, cohabitatione in parochialibus ædibus, et paci et meliori parochiæ regimini impedimenta plerumquè inferuntur, ut multi jam periculum fecerunt, prohibemus omnibus Sacerdotibus sacrum ministerium exercentibus, ne apud se Parentes suos, aut alias sanguine conjunctissimas personas, præter eas quæ domesticis negotiis gerendis sunt necessariæ, retineant, absque Nostrâ in scriptis datâ licentiâ.

SYNOD. DIOECES. 1836.

LV.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri, erudiens nos, ut abnegantes secularia desideria, sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc seculo : quæ cùm omnibus Christianis dicta sint, quantò magis ad ipsos Christianorum duces et antesignanos pertinebunt, qui in primâ acie stare et congredi debent, et virtutum suarum exemplis alios ad simile virtutum studium incitare! Assiduè quapropter recolant sacerdotalis temperantiæ leges artic. XXI, XXII et XXIII, Cap. IV, Tit. X Statutorum Synodalium propositas. Ab omni specie malâ abstineant se; omnis ebrietatis aut nimiæ potationis vel suspicionem refugiant, nemini dantes ullam offensionem. Convivia eorum, in obitibus, in Patronorum festis, aut quoties inter se conveniunt, ex charitate, ut decet sanctos, fiant. *In eis nulla absentium vita mordeatur; non inanes in eis secularium negotiorum fabulæ, sed verba dilectionis sacræ audiantur; non plus quàm necesse est serviatur corpori, sed sola ejus infirmitas reficiatur* (1). Archipresbyteris, qui vigilias Domini custodiunt, iterùm cum eorum conscientiæ onere injungimus, si quos ejusmodi abusus contigisse noverint, prompto et indefesso zelo reprehendant, ac, nisi corrigantur, denuntient.

SYNOD. DIOECES. 1834.

---

(1) Greg. Epist. 3, lib. 2.

LVI.

Pastores ad convivia non invitent occasione Festorum parochialium; neque fiat, his diebus, inutilis Sacerdotum concursus. Advocentur tantùm ad Missas pro defunctis celebrandas, quæ, ut à piâ consuetudine omnis removeatur abusus, sextum aut octavum non excedant numerum. De mensâ autem, cujus tunc potissimùm frugalis et simplex erit apparatus, ad propria maturè, non ingressi quocumque cœteroquin laudabili prætextu laicorum ædes, redeant.

Synod. Dioeces. 1827.

LVII.

Sacerdotes omnes et Clerici à venatione clamorosâ et aucupiis lege civili illicitis abstineant. Si quis venationem exercuerit cum armis, aut licentiam arma gestandi, soluto pretio, obtinuerit, in eum suspensionis pœnâ animadvertetur.

Synod. Dioeces. 1835.

LVIII.

Cum magnâ animi nostri tristitiâ et intimo dolore compertum habemus, non paucos, juniores præsertim inter Sacerdotes, quæ jam pridem circà Clericalem habitum ediximus, strictèque servanda non semel injunximus, datis etiam eum in finem, præterito anno, solemnioribus monitis, pro suo uniuscujusque nutu interpretari et violare. Quidam, se

sacrorum Canonum prorsùs imperitos ostendentes, dictam præscriptionem, quasi positos à Patribus limites essemus transgressi, haud tolerandâ superbiâ suggillant. Quos tamen fugere non deberet, per suspensionem ab ordinibus ac officio plecti dignos esse, ipsius sacrosancti OEcumenici Tridentini Concilii judicio, *qui honestum habitum clericalem, juxtà Episcopi ordinationem et mandatum, non detulerint* (1); et, *quoniam mundana curiositas* (decretum est Provincialis Synodi Mechliniensis, anni 1607, à Benedicto XIV summopere laudatum) *quotidianas adinvenit levitates, omnem illum habitum quibuslibet Ecclesiasticis personis interdictum esse, à quo Episcopus abstinendum mandârit.* Scire item conveniret, à quinque et ultrà seculis innumeros latos fuisse Canones, quibus non vestis talaris modò, sed et quæcumque clericalem habitum respiciunt, pro temporum adjunctis, designantur, determinantur, ad Sacerdotes ab laïcali culturâ et luxu arcendos.

Nos itaque, sanctis his insistentes regulis, easque pro Sacerdotalis Ordinis decore, quantùm necesse est iterùm renovantes, omnibus Ecclesiasticis viris, nostræ jurisdictioni subditis, mandamus in Domino et præcipimus ut in loco residentiæ suæ, aut intrà fines Parochiæ cui adscribuntur, talarem vestem, sericum colli linteolum, cingulum, et pileum tri-

---

(1) Sess. 14, c. 6.

corne gerant; ac habeant crines secundùm modestiam compositos, cum tonsurâ, seu clericali Coronâ. In itinere uti licebit togâ nigrâ breviore, ab anteriori parte clausâ, quæ ad medias saltem tibias protensa sit. Sed sive cum eâ itinerantium togâ, sive cum talari, femoralia ad talos usque demissa omninò prohibentur.

Quicumque deinceps Nostræ huic præscriptioni temerè et pertinaciter obstiterit, in eum tituli amissione, aut aliis gravioribus pœnis nostro arbitrio determinandis animadvertetur.

Insuper Sacerdotem, qui sacrum Missæ sacrificium celebraverit in suâ Parochiâ aut huic annexis Ecclesiis, vel ibidem solemniter Sacramenta administraverit, sine talari saltem veste, ipso facto suspensum ab ordinibus et officio declaramus, censuraque maneat Nobis reservata.

SYNOD. DIOECES. 1834.

LIX.

Quæ de talari veste et ecclesiastico externo habitu per Nos sancita sunt, iis Majoris Seminarii nostri alumnos, maximè in sacris Ordinibus constitutos, etiam Feriarum tempore, subjicimus et adstringimus.

SYNOD. DIOECES. 1833, 1835.

LX.

In civilibus parochianorum negotiis non se immisceant Sacerdotes, nisi ex charitate ad compo—

nendas lites et inimicitias præcavendas. A rebus autem et controversiis, quæ Communitatem respiciunt, alieni prorsùs maneant.

SYNOD. DIOECES. 1834.

LXI.

Ut per eos, quibus Pastoralis onus officii impositum est, residentiæ munus sine ullo animarum detrimento reverà præstetur, ii vel unâ Dominicâ et unius hebdomadis spatio ab Ecclesiâ sibi commissâ non abeant, quin, obtentâ priùs Archipresbyteri scriptâ licentiâ, parochiam ipsi suam pro Dominicâ concrediderint Sacerdoti alterius Ecclesiæ curâ non impedito. Concedendæ diuturnioris absentiæ facultatem Nobis reservamus. Hæc porrò nunquàm postuletur, nisi urgentissimâ causâ, in Adventu aut Quadragesimâ, nec occurrentibus anni Festis solemnioribus.

SYNOD. DIOECES. 1824.

LXII.

Omnia mandata, decreta, et scripta quæ ab Auctoritate cùm Ecclesiasticâ tùm Civili ad Parochiarum Rectores publicæ utilitatis gratiâ mittuntur, ad ipsas Parochias pertinent; et Rectorum morte vel mutatione interveniente, in Presbyterio remaneant successori tradenda.

Conserventur autem in Capsâ ad hunc usum exclusivè destinatâ, cum tabellâ chronologicâ et indicativâ cujusque instrumenti.

SYNOD. DIOECES. 1828, *et seq. pluriès*

SUPPLEMENTUM
IN TIT. XI STATUTORUM SYNODALIUM,
De Sacramento Matrimonii.

LXIII.

Pastor bannorum proclamationes Matrimonii inter parochianum suum et alterius Parochiæ sponsam celebrandi non faciat, nisi ab hujus Parocho scriptis rogatus fuerit.

Synod. Dioeces. 1822.

LXIV.

Proclamationes Matrimonii inter personas jure inhabiles contrahendi, non fiant antè obtentam priùs Impedimenti dispensationem.

Synod. Dioeces. 1835, 1846.

LXV.

In Matrimoniis mixtis, tenetur pars acatholica juramento et scripto Instrumento se obstringere conditionibus prærequisitis ad ejusmodi conjunctiones permittendas; quod Instrumentum juramenti præstiti mentionem expressam continebit, et duorum testium fide dignorum aut saltem Pastoris catholicæ partis subsignatione firmabitur.

Synod. Dioeces. 1837.

LXVI.

Bannorum proclamationes fieri debent intrà Missarum solemnia, tribus Dominicis aut Festis feriatis tantùm, in parochiâ domicilii actualis amborum Sponsorum, et in parochiâ domicilii præcedentis, si actuale non sit saltem sex mensium continuorum, sive præcedens hujus sit Diœceseos, aut ab aliâ pendeat.

Si Sponsi vigesimum primum ætatis annum non expleverint, banna proclamanda erunt pariter in domicilio Parentum, non autem Tutorum, defunctis Parentibus.

Synod. Diœces. 1840.

LXVII.

Qui ab armis, tempore militiæ elapso, domum redeunt, si authenticis documentis constet eos matrimonium, durante militiâ, non contraxisse et esse liberos, horum banna in actuali tantùm domicilio, licet recens incœpto, publicabuntur.

Synod. Diœces. 1837.

LXVIII.

Ministerium suum Pastores recusent ad celebrationem Matrimonii Sabbatis, propter gravissima non aliter evitanda scandala, et ut servetur unanimis et perantiqua hujus Diœceseos consuetudo nuptias non peragendi, quibuslibet abstinentiæ diebus; à quo laudabili usu recedere quidam, paucis in locis, nec approbandis motivis, attentant.

Synod. Diœces. 1838.

LXIX.

Cùm extrà parochiam, ubi jure contrahendum erat, celebratur matrimonium, Pastor ejus Parochiæ exigere potest retributionem pro conjugio sine Missæ oblatione contrahendo, sed nihil ultrà, et à solis divitibus, non verò ab iis qui opere diurno sibi victum suppeditant aut famulitio.

SYNOD. DIOECES. 1838.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. XII STATUTORUM SYNODALIUM,

De Sepulturâ Ecclesiasticâ.

LXX.

Defunctorum Sacerdotum corpora, clauso feretro, ubique ad Ecclesiam et sepulturæ locum è domo deferantur.

SYNOD. DIOECES. 1837.

LXXI.

Sepultura ecclesiastica, cum cæremoniis et precibus consuetis, ne detur infidelibus, apostatis, hæreticis; iis qui in duello occisi sunt; tùm iis qui sibi mortem ex deliberatâ impietate, non verò ex amentiâ et mentis alienatione consciverunt, et demùm pecca-

toribus publicis, in impœnitentiâ finali mortuis. Quos ad casus posteriores elucidandos, hæc subjuncta decernimus :

Qui sibi mortem intulerint, censebuntur ex deliberatâ impietate nefarium illud facinus perpetrasse, et sepulturâ ecclesiasticâ indigni, nisi certo et authentico medicorum testimonio, piorum et proborum communi opinione, et aliàs ex specialibus personæ et facti adjunctis constet mortem ex amentiâ et mentis alienatione, tanquàm unicâ causâ, sine ullo liberi arbitrii influxu, fuisse productam.

Inter publicos peccatores sepulturâ ecclesiasticâ privandos comprehenduntur Presbyteri qui, Gallicarum turbarum infausto tempore, constitutioni Cleri à civili auctoritate promulgatæ et schismati adhæserunt, aut sacrilegas nuptias contrahere præsumpserunt, aut post redditam Ecclesiæ pacem, sacerdotalis munii prorsùs obliti, laicaliter et omissis Religionis publicis officiis vixerunt, nisi cum Deo et Ecclesiâ in extremis saltem reconciliati, reparato convenienter scandalo, obierint.

Item iis recusanda est sepultura ecclesiastica catholicis, tanquàm peccatoribus publicis, qui, transactâ totâ vitâ, seu postremis vitæ annis peractis sine Fidei professione qualicumque, in ultimo morbo Sacerdotis ministerium et Sacramenta scandalosè coràm circumstantibus, detrectavêre ; atque illis qui, civilibus contractis nuptiis, in eo peccati statu vixerunt publicè, nec antè mortem, coràm selectis tes—

tibus agnitâ et defletâ culpâ, gratiam reconciliationis efflagitaverunt.

In quibus tamen suicidii et impœnitentiæ finalis casibus hic definitis, aut aliis prætereà supervenientibus, si quid dubii remaneat et per tempus liceat, consulendus erit Episcopus.

SYNOD. DIOECES. 1835.

FINIS.

PAULUS-GEORGIUS-MARIA DUPONT DES LOGES,

Miseratione Divinâ et sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Episcopus Metensis,

UNIVERSO DIOECESIS NOSTRÆ CLERO,

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN DOMINO.

Statutorum Synodalium executionem promovere et simul utiliori sancti Ministerii exercitio favere volentes, decernimus quæ sequuntur:

I.

Venerabilibus Fratribus nostris, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Canonicis titularibus, Canonicisque honorariis in Diœcesi residentibus, Archipresbyteris et Definitoribus facultatem impertimur à peccatis Nobis reservatis absolvendi, vota Nobis reservata commutandi, atque in jus conjugale restituendi.

II.

Archidiaconis, in cursu visitationum suarum, et Visitatoribus concedimus, ut subditos sibi Sacerdotes, primâ vice, non verò relapsos, à censuris à jure, Nobis reservatis, absolvant in utroque foro, datâ delinquentibus gravi et salutari admonitione.

III.

Archidiaconis, Visitatoribus, Archipresbyteris, intrà sui territorii limites, et Definitoribus pro suâ

Ecclesiâ, facultatem largimur faciendi reservatam Nobis benedictionem linteaminum, ornamentorum, vasorumque sacrorum, calice excepto.

Poterunt eam facultatem, pro casu particulari, delegare Archidiaconi et Visitatores.

IV.

Archidiaconis liceat Districtûs sui Sacerdotibus communicare, ad annum, facultatem absolvendi à peccatis Nobis reservatis; idem valeant Archipresbyteri, in suo territorio, pro quatuor temporis Paschalis hebdomadibus, et, Festorum Annualium occasione, ad quindecim dies. Ea tamen communicatio nulla sit, nisi scriptis detur.

Vivâ voce dari potest facultas absolvendi, pro casu particulari tantùm.

V.

Archipresbyteris concedimus facultatem, ad casus tantùm particulares, subdelegandi potestatem restituendi in jus conjugale.

VI.

Vacante Archipresbyteri titulo, Definitor vicem implebit Archipresbyteri, et iisdem gaudebit juribus.

VII.

Casuum et censurarum reservationem, ut in Statutis Synodalibus determinatur, diligenter attenden-

dam et observandam præcipimus. A positis limitibus, Nos in concessis suprà facultatibus non recessimus, et in delegandis iisdem recedere nemini permittimus.

Omnes memoratæ facultates manent ad nostrum arbitrium revocabiles, prout Diœcesanæ administrationi opportunum esse duxerimus.

Datum Metis, in Palatio nostro Episcopali, sub signo manuali sigilloque nostris et Secretarii generalis Episcopatûs nostri subscriptione, die 29 mensis Aprilis, anno 1846.

✝ PAULUS, Episc. Metensis.

De Mandato

Illustrissimi et Reverendissimi DD. Episcopi,

THOMAS, Can. hon. Secr. gen.

STATUTUM SPECIALE

CIRCA MATRIMONIA MIXTA.

JACOBUS-FRANCISCUS BESSON, Miseratione Divinâ, et sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Episcopus Metensis, Venerabilibus Diœcesis nostræ Archipresbyteris, necnon Definitoribus, Parochis, et Ecclesiarum quarumcumque Rectoribus,

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN DOMINO.

INTER multiplices Pastoralis Officii curas, ea Nos potissimùm sollicitos tenet, ut à Patribus promulgatæ leges ad servandam Catholicæ fidei integritatem, tuendumque Ecclesiæ decorem, in hâc nostrâ Diœcesi, nullâ unquàm violatione labefactentur.

Hujusmodi autem sunt innumeri propè Canones quibus, ab apostolicis temporibus ad nostram usque ætatem, prohibita semper fuit Catholicorum cum hæreticis communicatio in rebus divinis, cautumque imprimis, ne cum iisdem sacro sese nuptiarum fœdere consociarent; ac demùm, si quando toleranda forent talia connubia, provisum, ut ab his removeretur quidquid amittendæ fidei seu temerandæ periculo Christi fideles exponeret.

Olim itaque, secundùm tenorem Can. 14 OEcumenici Chalcedonensis Concilii, mixta istiusmodi conjugia non permittebantur, nisi *promitteret se ad orthodoxam Fidem persona orthodoxæ copulanda transferre.* Quæ si promissio identidem abfuerit, intercedere saltem debuit gravis quædam ac plerumquè publica causa, et non exigua spes affulgere hæreticos faciliùs in Ecclesiæ gremium reducendi; quod abundè comprobant contracta matrimonia inter feminas è Francorum Regiâ stirpe et arianos Principes, exindeque subsecuta Gothicæ illius gentis, quæ magnam Hispanici agri partem occupaverat, ad Catholicam Fidem conversio.

Tam venerabili ipsâ suâ antiquitate Disciplinæ ex intimis addicti præcordiis Gallicani Præsules, unanimi consensu institerunt semper, cùm de postulandâ Ecclesiæ dispensatione ageretur, ut excluso, priùs à parte Catholicâ periculo naufragandi circà fidem, hæc eadem onus susciperet in se hæreticam partem, aptioribus quas prudens fervidaque caritas suggereret mediis, ad Catholicam doctrinam revocandi; pars deindè heterodoxa, coram invocato in testem supremo Numine, comparti assecuraret justam libertatem adimplendi omnia Religionis officia, seque item obstringeret ad procurandum ut Catholica Fides in utriusque sexûs liberis ex eo matrimonio nascituris servaretur. Sanctas has canonicasque regulas, si fortè jurisjurandi circumstantiam excipiamus, confirmavit sæpiùs Apostolica Sedes, iterùmque, anno proximè

elapso, sancivit SS. D. N. Gregorius PP. XVI, datis ad Episcopos Regni Bavariæ litteris, quæ incipiunt: *Summo jugiter*. Nec jam relinquitur ambigendi locus, quin subreptitia foret dispensatio in quâ non apponerentur expositæ modò conditiones.

Pari unanimitate intellexerunt iidem Præsules, ut attestatur eorum agendi ratio in Generalibus Comitiis anni 1670, non sine Ecclesiæ dedecore mixtis iis connubiis erogari posse sacerdotalem benedictionem. Esset equidem abusus haudquaquàm tolerandus, Catholicum Sacerdotem, in facie Ecclesiæ, hujus sacrosanctæ Matris nomine, in hæreticum proferre verba consecratoria, aut ei benedictionem impertiri. Providè igitur et ipsa Sedes Apostolica determinavit, ut qui ad celebranda Catholicorum Matrimonia à Patribus traditi fuerunt ritus, in Catholicorum cum hæreticis conjugiis minimè perficerentur. Et Nos, maximi existimantes momenti, à commisso Nobis Dominico grege tanti sacrilegii qualemcumque occasionem repellere, omnibus Sacerdotibus ad celebranda matrimonia jure aut delegatione deputatis inhibemus, sub pœnâ suspensionis ipso facto incurrendæ, et Nobis reservatæ, ne ritus cæremoniasve ullas, qualiter in nostro Metensi Rituali pro Catholicorum matrimoniis describuntur, adhibeant, quandò continget eos matrimonio inter unam partem Catholicam et alteram hæreticam assistere.

Verùm, post enumeratas conditiones omninò ne-

cessarias ut per Ecclesiæ dispensationem licita evadant mixta matrimonia, firmatumque nostrâ censurâ essentiale aliud hujus sanctæ disciplinæ punctum, quod apud nos periclitabatur, altera, et ea gravis urgensque remanet finienda controversia, ac statuendum Nobis est, utrùm, spectatis præsentium temporum adjunctis, novisque indè subortis ambagibus, contrahentium mutuus consensus à Parocho Catholicæ partis recipi debeat antè fores Ecclesiæ aut in sacristiâ, absque religiosi alicujus ritûs admixtione.

Aptissima pridem erat ea severior forma, ad avertendos efficaciùs Catholicos ab ejusmodi funestis nuptiis, et felici legum concordiâ in omnium vergebat ædificationem. Sed à quo tempore actus, quem vir et mulier, secundùm Principis instituta ad contrahendum habiles, coram Magistratu exercent, cuncta sortitur matrimonii civilia jura, hanc eamdem clandestinis ansam præbere conjugiis lugendâ nimiùm experientiâ didicimus. Ex quibus semel attentatis, quanta deinde scaturiunt mala! Quamdiù etenim, propter hæreticæ partis ineluctabilem resistentiam, consensus non renovabitur coram proprio Sacerdote, et duobus saltem testibus, arcenda erit persona Catholica ab Ecclesiæ sanctissimis sacramentis, quamcumque demùm prætendat obligationem in civili conjunctione remanendi; intereà necessariis destituta auxiliis, parvipendet, ut plurimùm, cœtera Catholicæ Religionis officia, jugiterque imminenti à fide discedendi periculo fiet obnoxia.

Cùm igitur usus mutuum ejusmodi sponsorum consensum antè fores Ecclesiæ recipiendi, tot hodiè difficultatibus obvolutus, nullam juris Divini (à quo vel in minimis recedere nefas) quæstionem implicatam detineat; et, licet multis in Galliarum saltem Diœcesibus invaluit, non tamen in vim legis generalis Ecclesiasticæ transierit:

Cùm insuper plurium Sacerdotum, qui in partem sollicitudinis Nostræ vocati de Ecclesiâ optimè merentur, judicio, memorata prægravia incommoda cessarent, si preces aliquas solemnes ac ritus solam personam Catholicam respicientes institueremus:

Posteaquàm et Nos ipsi attentè consideravimus, primùm, Catholicos cum hæreticis contrahentes, semel ac legitima, superiùs indicatis clausulis vestita, dispensatio intercedit, si nihil aliud obstet, sintque benè dispositi, jam non esse redarguendos atque licitè contrahere matrimonium; deindè, nullam Juris communis et canonici sanctionem impedire, quin, hæretico non nominatim denuntiato intrà templi ambitum existente, ibidem Sacerdos solemnes effundat preces, ipsaque tremenda mysteria offerat pro Catholicâ personâ, quæ innocenter agere supponitur:

Pristinum rigorem, si unquam vim legis obtinuit in hâc Metensi Diœcesi, quod ambiguum relinquitur art. XXXII, tit. XI Statutorum synodalium, moderandum esse censuimus. Nostrâ igitur auctoritate, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum, Ecclesiæ

Nostræ Cathedralis Canonicorum consilio, subjectas cæremonias, quæ deinceps in mixtis matrimoniis poterunt adhiberi, instituimus, districtè prohibentes ne quid iis quocumque prætextu superaddatur.

Ritus adhibendi

cùm Parochus, aut alius Sacerdos, de Parochi licentiâ, assistit matrimonio inter unam partem Catholicam et alteram hæreticam.

Poterit Missa celebrari, ad efflagitandas à Deo gratias uberiores pro personâ Catholicâ, ut in ejusmodi conjugio ipsa Fidem orthodoxam servet intemeratam, eamdem conjugi insinuare valeat, atque nascituram sobolem sanctè ac religiosè educare. Missa dicetur de die secundùm Rubr., non verò de Sponsalibus; *et quidem sine ullâ mentione matrimonii contrahendi per Collectam illius Missæ, aut aliam qualemcumque. In eâ non fiet oblatio fidelium.*

Post Missam, si legatur, Sacerdos superpelliceo, aut albâ et stolâ indutus, cum Ministro accedet ad Contracturos extrà septa Sanctuarii genuflexos; et partem Catholicam nomine et cognomine appellans, hæc ab eâ postulabit:

« Etes-vous de cette Paroisse? »

Respondeat.

« Ne savez-vous pas qu'il y ait quelque raison qui

» doive vous empêcher de contracter mariage avec
» *N. N.* ici présent (présente), et de laquelle vous
» n'ayez point obtenu dispense? »

Respondeat.

« Vous présentez-vous ici avec une entière liberté,
» sans y être contraint (contrainte) par menaces, vio-
» lence ou autrement? »

Respondeat.

Si ad interrogata nihil responderit quod obstaculum præbeat ulteriùs progrediendi, Sacerdos ultimam denuntiationem proclamabit, hoc modo:

« Nous sommes ici assemblés, au nom du Père,
» et du Fils, et du Saint-Esprit, pour assister au ma-
» riage que *N. N.* (*partem catholicam hìc nomi-*
» *nabit*), veut contracter en face de la sainte Eglise,
» avec *N. N.* ici présent (présente), et recevoir leur
» mutuel consentement. »

« Nous déclarons qu'on a ci-devant fait les pu-
» blications de ce mariage, selon les lois de l'Eglise. »

(*Si aliqua bannorum dispensatio obtenta sit, declarabit unicam, aut duas solùm factas publicationes, ex dispensatione.*)

« Nous faisons ces publications pour la dernière
» fois; et de l'autorité de l'Eglise, nous vous com-
» mandons à tous, sous peine d'excommunication,
» de déclarer maintenant si vous savez quelqu'em-
» pêchement canonique, duquel *N. N.* (*partem ca-*

» *tholicam nominabit*), n'ait pas reçu dispense, et
» pour lequel il (elle) ne puisse contracter mariage
» avec *N. N.* Et nous vous défendons pareillement,
» sous la même peine, de mettre obstacle à ce ma-
» riage par malice, ou sans cause. Quant à la dis-
» pense nécessaire, à cause que *N. N.* ne professe
» pas la Religion catholique, nous vous déclarons
» que cette dispense a été accordée sous la condi-
» tion expresse que la partie catholique ne sera point
» gênée dans l'exercice des devoirs que lui impose
» la foi qu'elle a le bonheur de professer; et que les
» enfants de l'un et de l'autre sexe, qui pourront naî-
» tre de ce mariage, seront élevés dans la Religion
» catholique. »

Deinde, interpositâ morulâ, Sacerdos, pro suâ prudentiâ, partem Catholicam hortabitur super obligationibus ex matrimonio oriundis.

Post exhortationem, statim conversus ad altare, cum Ministro, alternis vicibus, dicet psalmum sequentem:

PSALMUS 33.

BENEDICAM Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti et lætentur.

Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me: et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum et illuminamini: et facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos.

Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam à malo: et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, et fac bonum: inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos: et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terrâ memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxtà est Dominus iis qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum: et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: et qui oderunt justum delinquent.

Gloria Patri, etc.

Sicut erat, etc.

℣ Salvum fac servum tuum (ancillam tuam),

℟ Deus meus, sperantem in te.

℣ Mitte ei, Domine, auxilium de sancto;

℟ Et de Sion tuere eum (eam).

℣ Esto ei, Domine, turris fortitudinis,

℟ A facie inimici.

℣ Domine, exaudi orationem meam:

℟ Et clamor meus ad te veniat.

℣ Dominus vobiscum.

℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Mentem famuli tui (famulæ tuæ), quæsumus, Domine, Paracletus, qui à te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

Tum, conversus ad contrahentes Sacerdos, incipiens semper à parte hæreticâ, utramque seorsum interrogabit, et alloquetur his verbis:

Ad partem hæreticam:

« *N. N.* Renouvelez-vous ici solennellement la
» promesse que vous avez déjà faite, signée et ju-
» rée, de faire ou laisser élever dans la Religion Ca-
» tholique, les enfants qui naîtront du mariage que
» vous allez contracter avec *N. N.*; et de ne
» gêner en aucune manière votre époux (épouse),
» dans le libre exercice de tous les devoirs de la
» Religion?

Respondeat:

« Oui, Monsieur. »

« Voulez-vous prendre *N. N.* ici présent pour
» votre mari et légitime époux? (ici présente, pour
» votre femme et légitime épouse?) »

R. « Oui, Monsieur. »

« Est-ce librement, et avec un plein consentement
» que vous prenez *N. N.* pour votre mari et légi-
» time époux? (pour votre femme et légitime épou-
» se?) »

R. « Oui, Monsieur. »

Ad partem verò Catholicam:

« *N. N.* Voulez-vous prendre, en face de la sainte
» Eglise, *N. N.* ici présente, pour votre femme et
» légitime épouse? (*sive*, ici présent, pour votre mari
» et légitime époux?) »

R. « Oui, Monsieur. »

Deinde:

« Donnez la main à *N. N.* et dites après moi:

« *N. N.* Je vous prends, en face de la sainte Eglise,
» pour ma femme et légitime épouse (pour mon mari
» et légitime époux); et je vous jure et vous pro-
» mets que je vous serai fidèle mari (fidèle épou-
» se), et que je vous assisterai en toutes vos néces-
» sités, tant qu'il plaira à Dieu de nous laisser
» ensemble; ainsi que lui-même le commande, et
» que notre mère la sainte Eglise l'ordonne. »

Tandem, si mulier sit catholica, conversus ad eam Sacerdos, extensâ manu dextrâ, in eam proferet sequentem benedictionem:

Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob sit tecum: et ipse adimpleat benedictionem suam in te, ut videas filios filiorum tuorum usque ad tertiam et quartam generationem, et vitam æternam habeas sine fine, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟ Amen.

Si vir ipse sit Catholicus, in eum dicet Sacerdos:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii, † et Spiritûs sancti, descendat super te, et maneat semper.
℟ Amen.

(*Sacerdos in sacrarium reversus poterit, si uxor sit Catholica, et ipsa rogaverit, annulum conjugalem à viro, sive ante Religiosam Cæremoniam sive post eam, et sine ullo ritu, acceptum benedicere, in hunc modum:*

℣ Adjutorium nostrum in nomine Domini;
℟ Qui fecit cœlum et terram.

Oremus.

Creator et Conservator generis humani, dator gratiæ spiritualis, et salutis æternæ largitor, emittere digneris benedictionem † tuam super hunc annulum, ut quæ illum gestaverit, tibi casto charitatis fœdere copulata, fidem integram in conjugio teneat; atque cœlestis defensionis virtute roborata, ad salutem perveniat æternam: Per Christum Dominum nostrum.
℟ Amen.

Et aspergit annulum aquâ benedictâ.)

Quibus ità compositis, et sanctæ Catholicæ Fidei prospeximus integritati, et Ecclesiæ decorem tuiti sumus. Charitas, suprema lex, nos induxit ad mitigandum minùs essentialia, quæ sapienter olim à multis co-Episcopis nostris adoptata, temporum injuriâ videbantur esse fragilibus in perniciem et destructionem. Muneri nostro satisfecimus. Restat ut Parochi, atque ii Sacerdotes, quibus animarum regimen obtigit, ministerium suum impleant. Vividissimis igitur, quoties oportebit, adhortationibus concreditos sibi fideles ab ejusmodi nuptiis, quas Ecclesia magnoperè semper detestatur, absterreant. Zelantes pro Domo ei, instent opportunè, importunè, arguant, obsecrent in omni patientiâ: ac denuntient Christianæ plebi, privatas familiarum calamitates oriri plerumquè ex iis connubiis, ad quæ contrahenda petulanter

nimiùm urgetur Ecclesiasticarum legum relaxatio; et beatiora esse conjugia, quæ juxtà sacrorum Canonum regulas celebrantur. Ægrè enim ab his, et quasi coacta, ad majora evitanda scandala, dispensat pia mater Catholica Ecclesia, illius adorandi Magistri memor, de quo scriptum legitur: *Arundinem quassatam non confringet, linum fumigans non extinguet.*

Datum Metis, sub signo manuali sigilloque nostris, ac Secretarii Cameræ Nostræ Episcopalis subscriptione, 8 Novembris 1833.

† JAC.-FRANC. Episc. Met.

De Mandato

Illustrissimi et Reverendissimi Episcopi,

MARTY.

STATUTA
SYNODALIA
DIOECESIS METENSIS,

AB ANNO 1847 AD ANNUM 1858

IN SYNODIS DIOECESANIS PROMULGATA,

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS DD. PAULI-GEORGII-MARIÆ DUPONT DES LOGES, EPISCOPI METENSIS, AUCTORITATE EDITA.



METIS,

APUD ROUSSEAU-PALLEZ, DD. EPISCOPI TYPOGRAPHUM.

MDCCCLVIII.

STATUTA SYNODALIA
DIŒCESIS METENSIS.

SUPPLEMENTUM
IN TIT. I STATUTORUM SYNODALIUM,
De Fide et Doctrina Religionis Catholicæ.

I.

Nullus in Diœcesi, sub quovis prætextu, alium catechismum pueros docere præsumat præter illum quem gallico idiomate simul et germanico, anno 1849, promulgavimus. Hoc unicè in scholis, in familiis et in Ecclesiis licitum est uti ad elementa Christianæ Religionis puerorum memoriæ tradenda.

SYNOD. DIŒCES. 1851.

II.

Execranda superstitio est, atque fidelibus omninò interdicenda praxis quâ superbi homines, cæci et vani, actis manuum artificio in circulum mensis, aliorumve objectorum motu, aut quibuslibet externis mediis, vitâ functos evocare, spiritus consu-

lere, ad præsentem rerum ordinem haud pertinentia Deique voluntate nobis abdita detegere et cognoscere prætendunt. Neque jàm ambigendi locus remanet his et similibus occultarum, ut fabulantur, scientiarum inventis bonos mores ipsamque fidem periclitari. Quapropter Clericis sub pœnarum ecclesiasticarum comminatione, et fidelibus omnibus severissimè inhibemus ne perversis illis machinationibus se immisceant, vel etiam curiositatis tantùm et joci causâ assistant.

SYNOD. DIŒCES. 1854.

III.

In publicis ephemeridibus, nullam quæstionem de Doctrinâ Catholicâ, de rebus liturgicis, de jure canonico, Nobis inconsultis, tractent Sacerdotes, neque facta ad Religionem spectantia exponant. Nunquàm eâ viâ licitum sit eis Scripta pervulgare quibus chirographum teneantur apponere.

SYNOD. DIŒCES. 1857.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. II STATUTORUM SYNODALIUM,

De Divino Officio ac diebus Dominicis et Festis.

IV.

Extrà piarum confraternitatum aut associa-

tionum, et mensis Maii exercitia ritè approbata, in Officiis publicis quibuscumque nullam cantûs ecclesiastici partem mulieres et puellæ seorsùm, sive alternis cum choro vicibus, exequantur. Quod iis etiam non liceat quæ funguntur organa pulsandi munere.

SYNOD. DIŒCES. 1847.

V.

Ad aquæ aspersionem, quæ Missam parochialem præcedit, nullus ritus iis addatur quos indicat Missalis rubrica.

SYNOD. DIŒCES. 1851.

VI.

Missa parochialis, etiam in annexis Ecclesiis in quibus per binationem ritè institutum est parochiale Officium, semper celebranda est de die seu Festo, ut fert Diœcesis Breve Liturgicum. Missa autem major pro defuncto, corpore præsente, Dominicis, certisque Festis diebus, nonnisi per Sacerdotem pastorali munere haud impeditum cantari potest.

SYNOD. DIŒCES. 1853.

VII.

Feriâ quintâ majoris hebdomadæ, item iis in Ecclesiis ubi feriâ sextâ usque ad vesperam in decoratâ Capellâ expositum remanet venerabile Altaris Sacramentum, prohibemus ne detur Benedictio, ut

fertur apud quosdam usum esse. Completo Tenebrarum officio, sola prosa *Stabat Mater* coram SS. Sacramento cantabitur.

Synod. Diœces. 1853.

VIII.

In Ecclesiis fidelium oblationes erogare et colligere non permittimus nisi in impensas divini cultûs, et in defunctorum favorem, absque speciali Nostrâ et expressâ licentiâ.

Administratores verò civilis beneficentiæ jure sibi lege concesso si utantur, per semetipsos fidelium dona in gratiam pauperum colligent, ultimo ordine, post collectas ad religiosum finem constitutas. Penes eos autem non est aliam personam ad id officii deputare, renuente Parocho.

Synod. Diœces. 1853.

IX.

Pastores, et quicumque prædicationis ministerium implent, sapienter Dei verbum doceant et explanent : nunquàm de temporalibus suis negotiis, de damnis sibi illatis, aut de hominibus impedimenta suscitantibus ad plebem sermonem habeant.

Parochianis item, sine concessâ facultate, nec auctoritatis Ecclesiasticæ aut Civilis Litteras, nec de privatorum rebus et commodis tractantes epistolas communicare fas est.

Synod. Diœces. 1853.

X.

Mense Maio, aut aliâ occasione, Beatissimæ Virginis Effigies nunquàm intrà Sanctuarii septa exponatur, nec prope sacram mensam ad Chori introitum, eo circumdata ornatu quo Altare et Tabernaculum occultet. Convenientiùs decorabitur ipsum Altare minus sub ejus invocatione dedicatum; ibique sanctissimæ Matris et Dominæ Effigies piorum fidelium venerationi solemniter sit exposita.

SYNOD. DIŒCES. 1853.

XI.

Ecclesiæ omnes elevatum habeant suggestum in Navi, è quo Pastores et eorum Vicarii teneantur populum docere intrà Missarum solemnia post cantatum Evangelium, quoties gravissimum illud sui muneris onus iis incumbit, secundùm sacrorum Canonum et Synodalium Diœceseos Statutorum præscripta, nisi quandoque forsan justâ causâ impediantur.

SYNOD. DIŒCES. 1854.

XII.

In festo Corporis Christi, ad solemnem venerabilis Sacramenti processionem, Sacræ Reliquiæ, Beatissimæ Virginis sculpta Effigies, aut aliorum Sanctorum, non gestentur. Sola crux præcedat; et populus fidelis sub sacris vexillis devotè progrediatur.

SYNOD. DIŒCES. 1855.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. III STATUTORUM SYNODALIUM,

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

XIII.

Non emantur deinceps vasa sacra ex metallo quod argentum Bipontinum seu germanicum nuncupatur confecta. His, ubicumque existunt, substituantur, quamprimùm fieri poterit, et antè impensas alias non rigorosè necessarias, vasa ex argento tituli gallici pretiosiora.

SYNOD. DIŒCES. 1847, 1848.

XIV.

Quando Missa pro defunctis, etiam corpore præsente, cantari nequit, sed dicenda est Missa occurrentis Festi, nullus funebris apparatus circa Altare, aut intrà Ecclesiam pensilis exhibeatur.

Candelabrum triangulare nec in exequiis, nec in Missis pro defunctis inserviat, sed maneat reservatum, ut fert rubrica, pro Tenebrarum officio in majori hebdomada.

Tenuem pannum nigrum, qui luctûs indicium est, Cruci et ejus hastili, candelabris ad Altare et circa feretrum, aut superpositis cereis annectere,

ut per abusum factitatum esse constat, nequaquàm licitum sit. Hanc eamdem lugentis familiæ tesseram apparitores Ecclesiæ et inferiores ministri aliquod munus exercentes non habeant.

SYNOD. DIŒCES. 1850.

XV.

Dum Missa cum cantu celebratur, nihil cantoribus permissum sit, brevitatis causâ aut aliâ ratione, de antiphonis, et quibusvis partibus cantandis, secundùm Missalis et Gradualis rubricas, truncare aut omittere. Contrariam praxim reprobamus et damnamus, nonobstante plurimarum Ecclesiarum inveteratâ consuetudine, quæ potiùs sanctæ et publicæ Liturgiæ corruptela est atque dici debet.

Iisdem in Missis, symbolum Nicænum, non alternâ cum organis vice, ut fit pro Glorificationis hymno, sed integrè à Choro et assistentibus, quia professio Fidei est, decantetur.

SYNOD. DIŒCES. 1849, 1853.

XVI.

Cantores in Officiis publicis talari veste nigrâ et superpelliceo semper sint induti.

SYNOD. DIŒCES. 1858.

XVII.

Non fas est laicis sacrarii custodibus, et Canto-

ribus æditiuis corporalia, pallas, et purificatoria quibus Sacerdotes ad Altare usi sunt, aut vasa sacra tangere, nisi scriptis obtinuerint Episcopalem licentiam.

Poterit ea facultas, in majoribus Ecclesiis, speciali favore iis concedi quos Pastorum testimonio sciemus piis moribus esse valdè commendabiles. Quâ tamen in sacrario tantùm utentur ad linteamina et vasa sacra suis locis aut thecis extrahenda, iisdemque reponenda ; nec unquàm illis permittemus calices ad Missam disponere.

SYNOD. DIŒCES. 1848, 1854.

XVIII.

In parochialibus Ecclesiis, et in aliis omnibus ubi parochiale celebratur officium, mulieribus, vel illis etiam quæ Deo consecratæ puellarum educationi præficiuntur, sacrario interdicimus. Hâc nostrâ prohibitione cautum sit ne ibidem admittantur ad ea ordinanda et disponenda quæ recluduntur in sacrario. Æditui nostrâ approbatione muniti hæc omnia curabunt, vocatis in adjumentum, si opus fuerit, honestis quibusdam viris, aut piis juvenibus.

SYNOD. DIŒCES. 1857.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. VI STATUTORUM SYNODALIUM,

de Sacramento Confirmationis.

XIX.

Pro sacramenti Confirmationis administratione tenentur Pastores in stationis Ecclesiam ducere, et ex eâ, post actam cæremoniam, reducere parochianos suos consueto processionum ordine, in hymnis et canticis spiritualibus, initio saltem et sub fine itineris, nisi, quoad processionis ordinem, aëris intemperies cohibeat; nec priùs reversos dimittent quàm, absoluto hymni *Te Deum* cantu, orationem pro gratiarum actione in suâ Ecclesiâ recitaverint.

SYNOD. DIŒCES. 1849.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. VII STATUTORUM SYNODALIUM,

de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

XX.

Tabernaculum in quo sacrosancta reconditur Eucharistia opificio semper et nitore splendeat.

Panno serico coloris albi, texturæ quantùm fieri poterit pretiosissimæ, vestiatur interiùs, ita ut nulla omninò pars hujusmodi tegmine careat, cui simul ac veterascet alius diligenter substituatur.

In Tabernaculo nec Vasa sacra vacua, nec Reliquiæ qualescumque unquàm deponantur.

SYNOD. DIŒCES. 1850, 1858.

XXI.

Gravis culpæ reatum incurrit quicumque ad Eucharistiam consecrandam, asservandam, distribuendam, fidelium adorationi solemniter exponendam, utitur vasis, indumentis, et linteaminibus per Statuta Diœcesana, aut Ordinarii sententiam interdictis.

SYNOD. DIŒCES. 1850.

XXII.

Quæ luculenter jam pluribus Statutis, et in Synodorum annuis conventibus sæpè inculcavimus iis omnibus qui administrandis Ecclesiis præponuntur, de puerorum religiosâ educatione et sedulò curandâ instructione, ut eos, opportuno tempore, ætate competenti, ad sacrosanctæ Eucharistiæ receptionem disponere et admittere valeant, jactis in eorum animis Christianæ vitæ solidis fundamentis, hæc iterùm resumenda judicavimus et denuò injungenda, ne nimiùm sibi indulgentes, aut minùs

tanto muneri quàm par est attenti, propriæ suæ salutis, et teneræ illius juventutis periculum faciant.

Scire eos oportet se strictè obligatos esse subjunctis præceptis, et graviter urgere aliàs promulgata Statuta ad quæ referuntur.

Annis igitur singulis, novem mensium spatio, catecheses habeant in suis Ecclesiis, quibuslibet diebus Dominicis. In iis docere tenentur junioris etiam ætatis pueros, et à decimo anno specialiùs eos qui sunt ad primam communionem disponendi. His publicis Dominicarum catechesibus adstringuntur, licet per hebdomadam pluriès in scholis laudabili zelo juventutem instruant.

Nec præterеà unquàm omittant frequentiores catecheses, quatuor saltem mensibus, ut proximam ad Eucharistiam præparationem institutas.

Invigilent scholis, easque visitent assiduè; patientes sint, prudentes et solliciti ad ea quæ optimo earumdem regimini obstarent removenda; Nosque, ubi opus fuerit, admoneant de subortis difficultatibus. Quidquid penes eos erit efficiant ut omnia in scholis sint Fidei, moribusque christianis consentanea et iis maximè conducant.

Quotannis, cum eâ quidem solemnitate quam sanximus, ad primam communionem admittantur pueri, ubicumque duodecim præscriptam ætatem attingunt; alternis autem annis, nullâ habitâ numeri ratione, in quibuslibet Ecclesiis. Qui contrà egerint suspensione plectentur.

Pastores duas Ecclesias per binationem administrantes, alternatim in utrâque Ecclesiâ, ac proindè singulis annis primam communionem celebrare teneantur, nisi expressa Nostra interveniat dispensatio.

Quùm præparatio et admissio puerorum ad primam communionem jus sit Pastoribus reservatum, nullus præsumat alterius parochiæ puerum inter suos admittere, inscio Pastore, quando verè non aderit posita conditio domicilii per tempus sufficiens; neque perperàm inadvertentiæ excusationem invocet.

Ultrà decimum quartum ætatis annum, si quis puer defectu scientiæ et requisitarum dispositionum admitti non possit, intelligant Pastores sibi tunc onus incumbere hunc particularibus mediis docendi et disponendi, ne cum salutis periculo nimiùm diù privetur sacrosanctæ Eucharistiæ beneficio et gratiis.

Tandem non obliviscantur nihil sacramentali confessione aptius esse ad puerorum christianam piamque educationem fovendam, et ad eorum mentes Fidei veritatibus aperiendas, ut majori postea cum fructu recipiant Eucharistiam. His de causis, ac insuper quia pravum est cor omnium et ad peccatum proclive, vocentur à septimo ætatis anno ad tribunal pœnitentiæ, appropinquante quolibet jejunio quatuor temporum; doceantur culpas

suas reverenter et humiliter accusare; suggerantur ipsis pro eorum captu contritionis motiva et emendationis media; atque, si in peccatum grave inciderint, paternâ sollicitudine ritè dispositis absolutio conferatur.

Confidimus autem in Domino omnes sacro ministerio fungentes iteratis nostris his monitis et mandatis ad suæ conscientiæ solamen et ad nostrum gaudium alacriter fore obtemperaturos.

SYNOD. DIŒCES. 1856.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. VIII STATUTORUM SYNODALIUM,

De Sacramento Pœnitentiæ.

XXIII.

Quæ Statutorum Synodalium articulo XXXVII, cap. II, Tit. VIII, contrà sollicitantes et de obligatione eos denuntiandi sanciuntur, nefarios omnes excessus comprehendunt quos auctores approbati exponunt et fusiùs evolvit S. Alphonsus de Ligorio in Appendice ad Tractatum de Pœnitentiâ. Meminerint igitur omnes et singuli Sacerdotes in confessiones audiendas constituti se ad delictum tam

enorme et Ecclesiæ Dei injuriosum prorsùs eradicandum, his regulis esse obstrictos.

SYNOD. DIŒCES. 1847.

XXIV.

Ut nullæ deinceps exoriantur dubitationes super interpretatione Statuti XIII, cap. V, Tit. VIII, quod confessarium complicem respicit, decernimus per hæc verba *ab omni aliâ culpâ mortali, per tactum de se et naturâ suâ obscœnum,* intelligendum esse quidquid rationem habet peccati turpis et inhonesti contrà sextum Decalogi præceptum commissi; clausulamque *exceptis casibus articuli et periculi mortis infrà expositis* esse restringendam ad ipsius mortis articulum, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote qui confessarii munus obire possit.

SYNOD. DIŒCES. 1857.

XXV.

Servetur equidem, ubi viget, laudabilis usus adolescentes utriusque sexûs, usque ad majoritatis annos, publicè examinandi circa Doctrinam christianam, versùs finem Quadragesimæ, ut de eorum aptâ scientiâ constet, et sic tutiùs disponantur ad annuam confessionem. Non tamen liceat Pastoribus scriptis attestari eos in examine satisfecisse, aut confessariis ejusmodi attestationem exigere.

SYNOD. DIŒCES. 1850.

SUPPLEMENTUM
IN TIT. X STATUTORUM SYNODALIUM,
de Sacramento Ordinis.

XXVI.

Majorum Ordinum Clericis lege canonicâ interdicitur exercitium artis medicæ, uti videre est *can.* 6 Concilii Remensis, habiti sub Innocentio II, anno 1131, et *can.* 9 Concilii Lateranensis eodem sedente Pontifice celebrati, anno 1139. Hæcque Disciplina constabilita fuit ab Alexandro III et ab Honorio III justis ac urgentibus de causis, quæ temporis decursu non sunt apud nos imminutæ. Quapropter omnibus Sacerdotibus et Clericis in sacris constitutis prohibemus ne ullo pacto medendi artem exerceant. Hujus autem prohibitionis contemptores censeantur, pœnis ecclesiasticis, nisi abstineant, plectendi, qui remedia ægrotantibus præscribere consueverunt, nec verentur morbos explorare eorumque sanationem, medici velut gerentes officium, attentare, aut chirurgicas operationes ipsi perficere

SYNOD. DIŒCES. 1847.

XXVII.

Collationes de sacrâ Scripturâ, scientiâ theologicâ

rebusque liturgicis et ecclesiasticis, sexies per annum habendæ sunt, tempore, loco, ordine et moderatis sumptibus Episcopali mandato anni 1844 præscriptis. Iis adesse sedulòque operam navare tenentur Parochi, ecclesiarum Rectores, Vicarii, et quicumque Sacerdotes sacri ministerii functiones in parochiis ubi commorantur quovis titulo exercent.

Quarum ut major sit utilitas, thesium lectionem subsequatur semper oralis quædam et seria practicarum quæstionum ex ipsis thesibus profluentium expositio et discussio, ad sanam, captui fidelium accommodatam, facilemque verbi divini prædicationem, ac uniformem sacramentorum, Pœnitentiæ præsertim et Eucharistiæ, administrationem procurandam.

Posterâ autem die, vel eâdem hebdomadâ non conveniant Sacerdotes apud eum in cujus ædibus collationes habitæ sunt, honesti etiam oblectamenti, aut fraternæ recreationis prætextu.

Synod. Diœces. 1849, 1857.

XXVIII.

Sacerdotibus per totam vitam sacris Scripturis, Theologiæ, canonicis Institutis assiduo studio incumbendum est, ut divinarum rerum scientiam pleniùs acquirant, acquisitam pro humani ingenii debilitate non obliviscantur, imò de die in diem augeant, et sic utiliùs populi legem de ore eorum requirere

possint. Hìnc Presbyteris omnibus sacrum ministerium exercentibus collationes ecclesiasticæ, junioribus examen insuper annuum præscribuntur. Si quis autem positis eo in examine quæstionibus non satisfecerit, eodem anno iterùm erit ab Archidiacono interrogandus, ac nihilominùs, simili recurrente negligentiâ, ejus stagium protrahetur.

SYNOD. DIŒCES. 1852.

XXIX.

Synodi rurales celebrabuntur, nisi peculiaris interveniat dispensatio, intrà hebdomadam quæ sequitur Dominicam quartam post Pascha, libero et opportuno die. Ad conventum se conferre tenentur, et quidem suis impensis, eique assistere Sacerdotes omnes qui in archipresbyteratûs territorio commorantur, et sacri ministerii functiones exercent vi simplicis etiam approbationis.

Missa synodalis vel cantabitur, vel sine cantu dicetur, prout libuerit. Non fiet concio ad populum.

Ante Missam, vasa singularum Ecclesiarum à duobus vel tribus Presbyteris oleis sanctis repleta in sacrario, super mensam decenter ornatam, linteo mundo coopertam, intrà sanctuarii septa deponentur, ut ea, cùm tempus adfuerit, archipresbyter distribuat eodem ordine et ritu quibus in Diœcesana Synodo distribuuntur.

In cæteris omnibus ejusdem Episcopalis Synodi cæremoniæ observabuntur, ut feret ratio personarum et locorum, nunquàm tamen omissis iis quæ Sacerdotes ipsos respiciunt.

Si, congregatis in presbyterio Synodalibus, de sensu Statuti alicujus, aut de ejus applicatione practicâ non videatur satìs constare, indèque, variantibus sententiis, oriatur conflictus, difficultatis solutio et recta Statuti interpretatio à Nobis expostulabitur. Quibus in disceptationibus unusquisque suam opinionem liberè exponat; nec tamen sibi jus arroget ipsas Disciplinæ regulas in Synodo promulgatas, quæ per archipresbyterum innotescunt, redarguendi.

SYNOD. DIŒCES. 1852.

XXX.

Sciant Pastores, et quicumque alio titulo curam animarum habentes, legem residentiæ violari, et quidem plerùmque graviter, ab iis qui, præ desidiâ veluti temporis onere fatigati, nutu suo, deficiente justâ et laudabili causâ, per integras hebdomadas, salvis tantùm Dominicis, absunt, aut frequenter quatuor et quinque diebus continuis commissam sibi plebem deserunt.

SYNOD. DIŒCES. 1852.

XXXI.

Ante omnia et in omnibus Sacerdotes præbeant

exemplum charitatis. Eximiæ hujus virtutis, quæ Domini præceptum est, vividissimos sensus sedulò et ubique exhibeant. Ita potissimùm se ut veros Christi discipulos commendabunt, honorabilis eorum persona cunctis erit, et honorabile ministerium.

Fulgeat igitur semper in eorum sermone charitas, quæ patiens et benigna est, ut verba referunt gentium Apostoli; nec eis unquàm contingat, sive quùm pro sui muneris officio proximum arguunt, sive aliis in circumstantiis qualibuscumque, ejus famam vel in minimis lædere.

Etiamsi quandoque eorum jura violentur, omnia potiùs sufferant et sustineant, quàm ea cum charitatis periculo acriter vindicent.

SYNOD. DIŒCES. 1853.

XXXII.

Qui in sortem Domini vocati sunt, cùm inter se conveniunt et conversantur, Ordinis sui dignitatem honorificent et revereantur. Ea autem reverentia sic eorum moribus impressa sit, ut nihil in loquendi et agendi ratione ab eâ deflectat. Abjiciant ergò incomptam et rudem familiaritatem quam inter ingenuos homines urbanitas non patitur, et observantia ergà eos qui honore digni habentur prorsùs excludit. Istius modi est usus singulari formâ et numero gallicè, aut germanicè alloquendi, in studiorum decursu inter condiscipulos nimiâ facilitate

usurpatus, quem in intimo tantùm colloquio retinent arctâ devincti amicitiâ. Hunc omninò ut indecentem et absonum relinquere debent qui ad Sacerdotium, emensis studiis, provecti, dignitate omni veneratione colendâ decorantur, ne, propter rusticam familiaritatem inter Dispensatores mysteriorum Dei, à laicis vituperetur eorum et character et ministerium.

SYNOD. DIŒCES. 1853.

XXXIII.

Sacerdotalem gravitatem dedecet ut, laicorum more, tabaci fumum hauriant Presbyteri in viis et locis publicis, in itinere, vel in fidelium aut consacerdotum societate. Illud omnibus æque clericis interdicitur. Prohibitionis violatores non erunt ii qui valetudinis causâ, suadente medico, suis in ædibus et seorsùm, nec consuetudine contractâ, eo modo tabaci folia moderatè consumunt.

SYNOD. DIŒCES. 1853.

XXXIV.

Congregationes religiosæ quarum conventualis et præcipua domus extrà Diœcesis limites existit, si sint à Gubernio recognitæ, et administrationem generalem habeant cui omnia membra subjiciuntur, valent equidem ubique Galliarum tenore legis civilis scholas et hospitia dirigere, cæterisque piis operibus secundùm earum Constitutiones incumbere.

Lege autem canonicâ non eâdem facultate gaudent. Sed requiritur specialis et expressa illius Episcopi licentia in cujus territorio domum erigere, fundationes pias acceptare, aut commorari desiderant.

Cognoscant igitur, oportet, ecclesiarum Rectores hoc nostrum beneplacitum pro quolibet particulari casu necessarium esse.

SYNOD. DIŒCES. 1853.

XXXV.

Parochi, succursalium Rectores, Vicarii residentes, presbyteriis, adjunctis hortis et viridariis fruendi jus habent simul et onus ea curandi, ut sua tuetur *bonus pater familias*; ità fert lex gallica. Cùm advenerit eos ad aliud beneficium transferri, hæc omnia, quantùm per eos licebit, in convenienti et fructuario statu relinquent. Nihil de domibus tollent nisi quod lex jure utentibus adjudicat. In hortis et viridariis maturos tantùm fructus colligent; cætera successor obtinebit, absque ullâ culturæ impensorum compensatione.

Non item erit de agris, pratis, annuâ lignatione, ubi communitates id temporalis commodi Pastoribus concedunt : sunt etenim hæc addenda reditui à publicâ potestate muneri attributo. Proventus et expensas æquâ lance partientur cum successoribus, divisione factâ per duodecim menses, à Januario ad Decembrem.

Fundorum autem, si quos possideant, cum onere obituum aut Divinorum quorumvis officiorum, partitio fiet pro officiorum suo tempore expletorum numero.

Tributorum scedulam, licet prædecessoris nomine inscriptam, tenetur is solvere qui beneficio fruitur.

Quibus positis regulis, hortamur omnes et obsecramus in Domino, ut in componendis suis rebus et juribus repetendis, benevolentiæ et charitatis memores temporalium commodorum se parùm cupidos ostendant, neminique dent ullam offensionem.

SYNOD. DIŒCES. 1854, 1855.

XXXVI.

Strictè ab omnibus ad quos attinet observentur artic. LVIII et LIX Statutorum anno 1846 promulgatorum circa clericalem habitum edicta, nihilque omninò quâvis ratione innovetur aut immutetur, sub enuntiatarum ibidem pœnarum interminatione.

Honestus ille clericalis habitus nunquàm ejus coloris et formæ palliis, lacernis, aliisve occultetur vestimentis, quæ laicis in usu sunt, et quibus ecclesiastici cum laicis confunderentur. Exteriores eorum vestes Ordinis sacri modestiam et gravitatem deceant, eosque semper à laicis secernant.

SYNOD. DIŒCES. 1856.

XXXVII.

Cùm Episcopalis approbatio ad jurisdictionis exercitium prærequisita non detur ordinariè in nostra Diœcesi actu ab officii Pastoris aut Vicarii collatione distincto, qui per demissionem, aliâve de causâ, recedunt à suo munere, simplicis approbationis libello indigent, ut qualemcumque jurisdictionis functionem, de consensu Pastorum, exercere valeant.

SYNOD. DIŒCES. 1856.

XXXVIII.

Sacerdotes Domini nec pro se, nec pro consanguineis et agnatis, terrestrium commodorum se cupidos exhibeant; et ipsam vel suspicionem effugiant avaritiæ, quam *omnium malorum radicem esse* Apostolus commemorat. Experientia docet eos, qui temporalium rerum curis et tenacitate videntur abrepti, injuriam dignitati suæ inferre, pastoralis ministerii sanctam auctoritatem in discrimen adducere, et, ut ait S. Carolus Borromœus, licet aliàs boni sint, modesti, integræ vitæ, studiosi, exemplares, hanc maledictam cupiditatem eos populis suis reddere exosos, eorum vitæ et prædicationibus omnem adimere fidem.

Meminerint ergò se animarum quæstui esse præfectos et militare Deo. Non implicent se consan-

guineorum et agnatorum negotiis; non immisceant se eorum licitis etiam contractibus; non pro eis sponsores fiant, ut, auctis eorum proventibus, operâ suâ ditentur. Hæc et talia agentes ecclesiasticis pœnis coercebimus.

Et quia sæpiùs jam evenit ut eadem gravia mala nascerentur ex emptis à Pastoribus prædiis, intrà jurisdictionis suæ limites, ejusmodi emptiones, sub iisdem pœnis, inhibemus.

SYNOD. DIŒCES. 1857.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. XI. STATUTORUM SYNODALIUM, de Sacramento Matrimonii.

XXXIX.

Jure inhabiles ad Matrimonium qui, postulatâ quidem impedimenti relaxatione, sed ante ejus concessionem et fulminationem, civiliter contrahunt cum intentione cohabitandi, vel imminente cohabitationis periculo, gravissimè peccant et publici scandali se reos constituunt. Quod flagitium omni sollicitudine tenentur Pastores impedire, omnique conatu à commissis sibi gregibus arcere. In damna-

bilem igitur errorem impingerent et culpabili conniventiâ viderentur divinæ legis infractionem approbare, qui, ut aliquotiès contigisse Nobis relatum est, absurdo prætextu minuendi scandalum, animos leniendi, et ad meliorem frugem alliciendi, ipsâ civilium nuptiarum die, vel earum occasione, pro contrahentium familiarum defunctis, juxtà morem post licita et rata conjugia, Missam celebrarent. Ejusmodi enormem agendi rationem censuris ecclesiasticis plectendam, si, quod Deus avertat, recurrerit, prohibemus et damnamus.

SYNOD. DIŒCES. 1853, 1858.

XL.

Matrimoniorum celebrationem quadragesimali tempore non intendimus permittere, nisi justâ et gravi intercedente causâ, Nobis in libello supplici expositâ, iisque tantùm diebus quibus dispensatione annuâ licitum est vesci carnibus. Quod si posterâ celebrationis die urgeat abstinentiæ præceptum, etiam extrà quadragesimam, ac metuendum sit ne infringatur, Missam obitûs, ut pii moris est, Pastores celebrare abnuant.

SYNOD. DIŒCES. 1853.

XLI.

Unius diei intervallum quod intercedere debet inter ultimam proclamationem et matrimonii

celebrationem, de integrâ subsequenti die intelligatur.

Synod. Diœces. 1856.

XLII.

Pro solemni conjugum benedictione habeant Fabricæ velum candidum speciale, ad alium ritum non inserviens. Illud deinceps duo tantùm juvenes à latere viri elevatum teneant, et à latere mulieris duæ tantùm puellæ.

Synod. Diœces. 1856.

XLIII.

Prohibemus ne matrimonia celebrentur extrà contrahentium parochiam, quin honestum et grave existat motivum, aut aliqua scandali vitandi causa. Delegandus tunc à proprio Pastore Sacerdos præmonebitur, et ejusdem consensus obtinendus erit antequàm contracturi dimittantur.

Quibus in casibus, nunquàm aut rarissimè, designetur Urbs Episcopalis.

Synod. Diœces. 1857. 1858.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. XII. STATUTORUM SYNODALIUM,

de Sepulturâ Ecclesiasticâ.

XLIV.

Laudabilis est usus, post celebrationem Vesperarum Festi omnium Sanctorum, pulsandi sæpiùs campanas, ut sic invitati fideles sanctâ et salubri cogitatione pro defunctis exorent. Vetamus autem ne pulsentur tractu continuo, aut à pueris, vel iis quos Pastor ipse non designaverit. Campanarum deinceps quilibet pulsus quartam horæ partem non excedat, et ab altero unius horæ intervallo distet, ultimusque nunquàm protrahatur ultrà octavam horam vespertinam.

Synod. Diœces. 1858.

XLV.

Cuilibet Ecclesiastico viro inhibetur ne de laudibus defuncti laici, sive in Ecclesia intrà Missæ et exequiarum celebrationem, sive in cœmeterio, exactis etiam religiosis ritibus, orationem habeat.

Synod. Diœces. 1848.

XLVI.

Interdicuntur vexilla nigri coloris.

SYNOD. DIŒCES. 1850.

XLVII.

Nullum exhibeatur vexillum sacrum in defunctorum exequiis, ut alicubi factitatum referunt in funere puellarum nubilium, et juvenum, addito cantu hymni *Veni Creator*, aut litaniarum Beatissimæ Mariæ Virginis. Approbatis standum est cæremoniis, quæ in Rituali libro traduntur; quaslibet alias prohibemus et interdicimus.

SYNOD. DIŒCES. 1854.

SUPPLEMENTUM

IN TIT. XIII STATUTORUM SYNODALIUM,

de Fabricis, seu de temporali Ecclesiarum administratione.

XLVIII.

Parochis et Ecclesiarum Rectoribus universis sub onere conscientiæ mandamus et præcipimus,

ut in Fabricarum actibus et redituum gestione nihil contrà normam et sancitas ab Auctoritate tùm civili tùm ecclesiasticâ regulas faciant, aut fieri permittant.

Administratores laici ritè semper eligantur et instituantur. Unusquisque functiones ipsi attributas exerceat.

Nostræ approbationi nullæ subtrahantur impensæ, nec illæ quidem quas extrà ordinem, præviâ tamen deliberatione, urgeret effici.

Singulis annis computatio redigatur exactissima de iis quæ anno subsequenti accipienda et expendenda prævidentur. Suo item tempore reddatur acceptorum et expensorum ratio in omnibus veritati consentanea; Nobisque, ut oportet, è Registris fideliter transcriptæ computatio et rationum redditio mittantur.

Si fortè, spretis aut neglectis eorum consiliis, administratores laici velint quidquam de Fabricarum statu et sumptibus celare, præscriptos actus omittere, arbitrario modo se gerere quoad fundorum adjudicationem, scamnorum locationem, aut in emptionibus et venditionibus, Pastores teneantur illud Nobis revelare et pandere.

SYNOD. DIŒCES, 1855,. 1856, 1857.